UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Homilia VII. De Ingressv in Hiervsalem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53012

Visual Library

ſicandus, & doctutus Epiſcopos, in quo errauit Theophilus Alexandrinus.

§. 12. Eiiciebat omnes &c. *In Reipublicæ ſalutem, purgatur templum: hoc enim eſt corporis huius ſtomachus.*

§. 13. Vendentes & ementes. *Adductio animalium circa templum, bonum habuit principium: porro de bono educimus malum.*

§. 14. Speluncam latronum. *Latrones erant hi, quos D. Cyprianus vocat honoratos, & Amos vncinos pomorum, ſanguiſugas, qui perdunt Rempublicam.*

§. 15. Speluncam latronum. *Deûm illi ſumebant nequitiæ ſuæ pallium, ipſis peiores Sodomitis: ſuffulciunt illam virtutis ornamento.*

§. 16. Sanauit eos. *Omnes infirmos curauit Chriſtus in templo: locus enim eſt omnibus miſericordiæ, vt dixit Dauid.*

§. 17. Numquam legiſtis: Ex ore infantium &c. *Maiorem vim habuit vox infantium; quàm Danielis; quam vt talem expendit propheta rex Dauid.*

# HOMILIA VII.

## DE INGRESSV IN HIERVSALEM.

Primo die Martis Quadrageſimæ.

*Cum intraſſet Ieſus Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens: quis eſt hic?* Matthæi. 21.

¶. 1 NARRAT nobis vitæ Chriſti commentator D. Matthæus, eius in vrbem Hieruſalem ingreſſum ipſo die Palmarum: tanto celebrem triumpho, præclaris acclamationibus, & perilluſtri gloria ſolemnem, vt ſupremi Principes, & Reipublicæ gubernatores obcæcarentur; Magna (fateor) fuit illa maieſtas ac gloria, quâ Chriſtus ipſo Transfigurationis die apparuit glorioſus; attamen fuit hæc ſuô modo ſolemnior. Illa enim fuit in monte ſeorſim & ſolitariè; hæc in totius orbis illuſtriſſimo foro, ciuitate nimirum Hieruſalem. Tunc eius lateri Moyſes & Elias ſociantur, cum eo colloquentes; nunc latus eius cingunt Apoſtoli, & ſtipat diſcipulorum, ac innumerabilis populi multitudo. Ibi melodiam ei decantat Angelorum chorus; Hic puerorum vagientium, & à matrum vberibus ſuſpenſorum laudes inſonat, & benedictionibus aera replet multitudo. Audita tum fuit Paterna de cælo vox teſtificans de filio ſuo. Modo de terra in cælum *Reſonant per nubila voces.* Lego ibi diſcipulos nimio timore viſionis proſtratos, Principes Eccleſiæ, huius vocis tonitru percuſſos: hic lego Principes ſynagogæ turbatos, perterritos, & tanta caligine circumfuſos, vt nec Chriſtum præſentem agnoſcant, inquirantque. *Quis eſt hic?* Illa hora erat, in qua ſecretam haberi voluit gloriæ ſuæ viſionem. *Nemini dixeritis viſionem.* In hac vero, *Matt. 17.* toti mundo vult eſſe notiſſimam: adhoc enim in omnium oculis triumphator intrauit ciuitatem: ſpectant eum ingredientem ipſi Iudæorum Principes, qui paucis ante lapſis diebus eum morti addixerant, & voce præconis proclamauerant, vt ſi quis ſciret, vbi eſſet, indicaret, vt iniicerent illi manus & ad effectum perducerent factam iam pridem reſolutionem: hunc intuentur modo turbati, conterriti, in eius præſentia tremuli, & quaſi lethargici: quærunt *Quis eſt hic?* Deinde coram eis, & tota vrbis ſynagoga templum adit tanquam domum ſibi propriam, & quam etiam hoc nomine compellat audientibus ipſis ſacerdotibus *Domus mea,* & ſe geſſit,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vt eius Dominus, eos eiiciens, qui eam profanabant, horum menſas euertens, nummoſque per terram effundens, alios cum ſuis cathredris deturbans: hos illoſque flagello cædens; illincque exterminans, valut canes (nam vt opinatur D. *In cap. 21. Matth.* Hier.) eos etiam hac vice flagello cecidit; & hos qui ſe gentem toto mundo digniſſimam reputabant latrones inclamat. Hic ex profeſſo ſiſtit, vt cuncti eius cernant mirabilia: cæcos illuminat, claudos rectificat, debiles infirmoſque roborat, adeoque ſuam oſtentat gloriam vt ipſi ephœbi ac pueruli eam decantent, ſolemni quadam, & inaudita hactenus melodia. Gloria hæc tanta fuit, vt orbis & vrbis excæcaret ſapientiſſimos, ipſa noſtrũ illuſtrabit intellectum, ſi eum Deus ſuâ diſponat gratia: vt verò nobis eam obtineat Hierarchiarum Imperatrix, illi dicamus *Aue Maria.*

§. 1. *Impletur hic prophetia Habacuc, quod lux Chriſti operit cælos, & illuminat terram.*

2 *In proœm. Lib. 2. in Habacuc ad Chromatium.* PAuciſſimis verbis explicat D. Hier. quod alij pluribus, doctiſſimiſque declarauerant rationibus, qui Canticum Habacuc explanarunt. Quantò ſuperficialiter obſcurius ac difficilius eſt hoc Canticum, tantò clarius ac manifeſtius eſt, ſi illud, vt prophetiam de Chriſto conſideremus. *Maneſeſtiſſimam de Chriſto continet prophetiam.* Licet autem hoc verum ſit in omnibus verſibus, à primo, in quo clarè proponitur eius conceptio operante Spiritu S. in ventre virginali (quam mirabili hieroglyphico iuxta aliam lectionem, vocat montem Pharan, & ſecundum Septuaginta. Montem condenſum & vmbroſum) vſque ad vltimum, quò prænuntiat iudicis aduentum, & Sanctorum ſua opitulanta gratia, triumphos, illam pariter victoriam quâ de morte triumpharunt; Particulari tamen modo hoc verum dicimus illis verbis quibus declarat, id quod venturum erat, dum ipſe præclarioribus radiaret miraculis: *Operuit cælos gloria eius, & laudis eius* *Habacuc 3. 3.* *plena eſt terra.* Ad litteram nihil his verbis obſcurius. Patet enim ſole oriente, cælos eius radiis magis quàm terram illuſtrari: ſunt enim cæli corpora diaphana, luci recipiendæ aptiſſima: terra vero corpus eſt de ſe obſcurum, vt quantumlibet clara ſit lux, eam tamen penetrare, nullo modo poſſit. Qui igitur fieri potuit, vt Diuino illo ſole ſuos emittente radios ſplendidiſſimos, cæli obnubilentur, obtenebrentur, & obſcurentur: terra vero illuminetur, plena lucis & laudis? Obſcura ſententia, ſed de Chriſto intellecta, *Manifeſtiſſimam* (ait D. Hier.) *continet prophetiam*, Chriſti gloria, erat illa claritas, quæ ex eius perſona reſultabat, ob patrata miracula, quibus ipſe illuſtrior, quàm ſol ſuæ lucis radiis fulgentiſſimis: Hæc eius præcellentiſſima totius vitæ ſuæ gloria maximè enituit in ingreſſu illo die Palmarum, quo omnium mirabilium ſuorum effecit *3. p. q. 44. ar. 3. ad 1.* prodigium mirabiliſſimum. Ita D. Thom. ex *In c. 2. Ioan.* opinione Orig. & D. Hieron.

Duo præ cæteris illuſtriora Chriſtus fecit miracula in gloriam ſuam. Primum, quô cæteris dedit principium, & quaſi ſtatuit fundamentum, quando in nuptiis Canæ Galilææ, aquas in vina conuertit: fidemque in diſcipulorum cordibus ſtabiliuit; *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum* *Ioan. c. 2. 11.* *diſcipuli eius.* Secundum fuit, quo & cætera concluſit, Lazari reſurrectio, de qua ipſe teſtabatur: illam corporis infirmitatem, quinimo mortem ceſſuram in eius gloriam: *Pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.* Ac proinde D. Ioann. (vt ipſe ait) ſicut in ſe ſuſcepit, tantùm ea refert miracula, quæ maximè vergebant in Chriſti gloriam eiuſque teſſeram Diuinitatis: prius præmiſit, vt petram fundamentalem, poſterius autem vltimò addidit, velut ædificij clauem, quâ illud obſerauit. Attamen præter illa duo illud fuit eminentius, quod die Palmarum operatus eſt, & in ampliorem ſuam ceſſit gloriam? Licet enim præclarum fuerit prodigium ad nuptias aquam in vinum transſubſtantiare, contigit hoc tamen in re ſeu creatura, in quam ita ipſe pro ſua operabatur voluntate, vt nullatenus eſſet, aut poſſet inueniri reſiſtentia, quâ Dei præcepto repugnaretur. Dein ſi ſtupendũ omnino fuerit prodigium, Lazari reſuſcitatio: fuit tamen teſte D. Hier. in iis rebus, quarum nulla ſimplici voci & Dei poterat reſiſtere voluntati, prout nec ipſa poteſt mors, nec ipſa anima, nec ipſum corpus. Hic vero ingreſſus, contigit ipſo efficaciter operante in cordibus liberis: quinimo multis eorum contra Deum refractariis, & non minus ipſo Pharaone obduratis. Et non tantum hoc in vno vel altero, ſed melius dixero in millionibus eſt operatus.

Iam Agni Paſchalis imminebat ſolemnitas, 3 quâ (ſecundum id quod refert D. Auguſt. ex *Ser. 204. de temp.* probatis auctoribus) iuxta rectam ſupputationem plures illo die in ſola Hieruſalẽ erant, quàm hodie in Hiſpania: quia dicit, aliquoties inuentos fuiſſe tres milliones Iudæorum, qui toto orbe diſperſi ad illam ſolemnitatem concurrebant, abſq; illis qui Hieroſolymis, & in Palæſthina morabantur

rabantur. Præter illos conueniebant multi Gentiles, vt notat D. Ioannes. Paucis ante diebus Chriſto litem concluſerunt in pleno concilio Principes & Sacerdotes, ſub Præſide ſummo Pontifice Caïpha, aſſidentibus omnibus ſuis Cardinalibus & pronuntiatâ ſententiâ diffinitiuâ mortis, tali animo, ac intentione, vt (teſte D. Ioanne) voce præconis per totam vrbem præcepiſſent, & affixis ad platearum angulos ſchedulis, dictam ſententiam promulgaſſent ſub graui pœna, mandantes ſiquis noſſet vbi eſſet Ieſus Nazarenus, illico denuntiaret, vt exequerentur ſupremi Capituli ac Conſiſtorij concluſionem. His ita diſpoſitis, & Iudæis in eius necem conſpirantibus, propoſuit Chriſtus ciuitatem ingredi, tantâ maieſtate, quantâ vel vnquam vllus Romam aut triumphator aut Imperator intrauerat. Huic triumpho dedit initium circa Bethphagen, medio milliari à ciuitate, quocirca cunctipotentem mittit manum ſuam in tam innumerabilem cordium multitudinem, quanta cum temporis erat Hieroſolymis, & in illis omnibus operatur, & agit, tantum, quantum & quomodolibet, eorum millia inſtigat, mouet, vt eum agnoſcentes, procurrant obuiam, ſicut & prodierunt, alij ramos cædebant de arboribus, & plateas ornabant: alij veſtimenta ſternebant in via, omnes denique ſe illi iungunt viæ comites, cæleſtem concinunt melodiam in eius laudem & gloriam: proclamant, profitentur, recipiunt vt Meſſiam, Regem, verum Dominum, & corporum, animarumque Saluatorem.

Ioan. 12, 19.

☞ 4
I.
Chriſtus mouit corda Iudæorum vt eum tā ſolliné receperent.

Millenis aliis deſiderium infundebat eum videndi, ac recipiendi ardentiſſimum, ac proinde portis ciuitatis eruentes, & feneſtris, ac domibus proſpicientes venienti acclamabant; vt fieri vidimus dum Reges, ac ſereniſſimi Principes intrant ciuitates. Matres mouet, vt ſuſpenſis ab vbere natis templum adeant, aduentum eius præſtolaturæ, vt dum ipſe intrat, mille ei perſonent laudes, & glorias. In ipſis Romanorum militum cordibus, quorum ibidem multus erat numerus, vt vrbem illam Romanis ſubiectam premerent, tantam excitauit admirationem, vt licet audirent eum Regem proclamari (quo Cæſaris derogabatur auctoritati) & cum titulo Regis, Domini, ac Saluatoris illum in ciuitatem pompaticè introduci, nec repugnent, nec contradicant. Principum vero ac ſuorum hoſtium corda, ſtupefecit, exterruit, & deiecit, dum vident eius tam mirabilem nouumque ingreſſum, illas audiunt acclamationes, quibus eorum & corda & viſcera transfodiebantur, quorum vox quælibet, eis ſæuiſſimus pugionis ictus videbatur, immoti vt ſtatuæ conſiſtunt, attoniti, ſpectatores, qui nec audeant, non ſolum executioni mandare id quod ante tam reſolutoriè decreuerant, ſed nec vnicum mouere pedem in eius detrimentum: tam ſupremæ maieſtatis inuidiâ ſe corrodentes. Et illi cum eſſent, qui habere prætendebant, imo & ius habebant ad templi regimen, diſponebantque ea, quæ in eo agebantur, vident tamen Chriſtum illud ingredi, & quaſi ſibi propriam intrare domum, ſe eius Dominum proteſtari, & abſoluta Domini auctoritate eo templi profanatores eiicere; hos etenim duriùs flagris excipit, illorum menſas ſolo proſternit, cunctos denique ſupremo abſoluti Domini imperio reprehendit vehementiùs. Ibi cæcis aperuit oculos, greſſum ſolidat claudis, linguas diſſoluit elinguium, talia denique operatur, vt illi ipſi ea teſtentur eſſe mirabilia: *Videntes mirabilia, quæ faciebat*; inuidi, zoili, Chriſtũ accedunt eũ reprehenſuri, ſed ipſe illos ad malas abigit aues, Dei inimicos ſugillat, nec ei de cætero audent obmutire: quid hoc? homo pauper, iam pridem per ipſos reus mortis proclamatus, ipſos inquam Principes qui populo, & vrbi præſidebant? Sic ſe res habet hæc Chriſto eſt gloria principalis: hic eſt triumphus maximè glorioſus, in tot cordibus permouendis ſuam oſtendere poteſtatem.

Siſtit D. Auguſt. in eo quod refert Spiritus S. Impletis omnibus per Moyſen, quæ Deus ei præceperat; Arca, menſa, candelabro, altari incenſi, holocauſtorum & ſacrifi iorum, tabernaculo, cortinis, veſtibus ſacerdotalibus ſummo Pontifici, aliiſque ſacerdotibus præſcriptis, mari ad lauandum, vnguento ſancto ad inunctionem, &c. *Poſtquam omnia perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonij & gloria Domini; impleuit illud, nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maieſtate Domini coruſcante quia cuncta nubes operuerat.* Vocatur, *Gloria Domini*, nubes quædam clariſſima, & illuſtriſſima, vt dicit Caietanus, & ipſe D. Auguſt. quæ ita dicitur: *Gloria Domini*; & D. Hieron. Totùm hoc operuit nubes ſplendidiſſima, quæ omnia Solis inſtar ſplendida reddebat. Nec potuit intrare Moyſes; præuenerat enim eius ingreſſum tantæ gloriæ nubes. Admiratur D. Auguſt. illudque eximium dicit prodigium dignum conſideratu. *Notanda eſt res mirabilis quòd nube deſcendente, & implente tabernaculum, non poterat Moyſes intrare tabernaculum qui in monte Sina quando legem primitus accepit, intrauit in nubẽ, vbi erat*

§ ☞
D. Aug. L. qq. in Exod. q. 173. To. 4.
Exod. 40. 35.

In c. 5. Ep. ad Galat.

*Deus.* Hoc illi multoties contigit, & in eo monſtrabat Deus, quod ſuus erat Dux, quando ob panis defectum populus murmurabat. Dum Aaron hæret apud populum: *Reſpexerunt ad ſolitudinem, & ecce gloria Domini apparuit in nube: locutus eſt autem Dominus ad Moyſen. Iam nunc veniam ad te in caligine nubis vt audiat me populus loquentem ad te & credat tibi in perpetuum. Stetit populus de longè: Moyſes autem acceſſit ad caliginem, in qua erat Deus. Cum aſcendiſſet Moyſes montem, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini ſuper Sinai &c. Ingreſſuſque Moyſes medium nebulæ aſcendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Quid eſt hoc? *Procul dubio* (ait D. Auguſt.) *aliam perſonam tunc figurabat, aliam nunc, & tunc eorum, qui Principes ſunt intima veritatis Dei, nunc autem Iudæorum, quibus gloria Domini, quæ in tabernaculo eſt, quod eſt gratia Christi, tanquam nubes opponitur.* Ac proinde dicit, quòd hoc non fuerit ſemper in Moyſe, ſed tunc tantùm. Completis figuris deſcendit gloria Domini in nube, in Chriſto, qui omnes illuminauit & per illam lumine priuatur Moyſes, id eſt Principes, vt nihil videre poſſint gloriæ Chriſti.

*Exod. 16. 10. & in c. 19. 8. & c. 20. & in c. 24. 15.*

Modò clarè patet verſus ille Habacuc: qui obſcurus iudicabatur: *Operuit Cælos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra.* Hoc nomine *Cælos* (inquit D. Gregor.) intelligit, primarios ſacerdotes, ſummos Principes, Reipublicæ magiſtros: illis enim incumbit populi regimen, qui nomine terræ comprehenduntur. Ecce cæli, ecce Principes, ſummi ſacerdotes, Põtifices; magiſtri & Doctores, qui honoris clauum tenent, altiores obtinent cathedras, qui hac Chriſti luce ac gloria, abſit vt illuminentur, quin & maleuolâ ignorantia obſcurati, de illo qui de ſe radios emittebat ſole ipſo clariores requirunt curioſi. *Quis eſt hic?* & velut veſpertiliones ipſis radiis attoniti, perculſique obtenebrantur. Occinere videtur vates illi hiſtoriæ, de qua Spiritus S. *Poſtquam omnia perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum* (vt exponit D. Cyrill. Alexandr.) & proſequemur alibi: ſimiliter viſionem Iſaiæ, quando apparente Domino gloria radiorum illuſtri, *Domus repleta eſt fumo.* Id eſt templum: vt dicemus. Lux illa, quæ cælos operuit, populum adeo clarificat, vt Dominum agnoſcat, mille laudibus extollat; & ipſis inquirentibus. *Quis eſt hic?* reſpondeat, elatis ad ſydera vocibus. *Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ:* quo teſtimonio eum fatentur vt Deum, vt Meſſiam, vt mundi Saluatorem. Sic benedicta hæc gloria Domini.

*L. 3. mor. c. 26.*

*Exod. 40. 33.*

*Lib. 9 de Adorat. Sabbato ante in Ramos §. 10*

*Iſa. 6. 4.*

Modo & horum tenebras, & illorum lucem, in ſalutem noſtram maturè conſideremus.

## §. 2. *Aſpernatoria fuit hæc Iudæorum interrogatio: zoilis enim proprium eſt quærere:* Quis eſt hic?

C*Vm intraſſet Ieſus Hieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas.* Quæ eſt hæc ciuitas, quæ ad Chriſti ingreſſum turbatur? Aliqui intelligunt habitatores, & ciues Hieruſalem, qui, vt ſubitò, & inexſpectatò audierunt voces illas, & acclamationes aduenientis populi, & intrantis ciuitatem multitudinis Chriſtum concomitantis, nec rationem ob quam illa fierent, intelligebant, perturbantur; & continuo interrogant, quis eſſet ille, quem tanta ſolemnitate conſtiparent, & diuinis ac inſolitis acclamationibus honorarent? Ita interpretatur hunc locum D. Hieronym. Alij vero auctores intelligunt per nomen *Ciuitas,* Principes ac Reipublicæ Gubernatores, eorumque Concilium: ea phraſi, quâ dicimus Ciuitas hoc aut illud proclamauit, prohibuit, inſtituit. Itaque, qui tumultuati ſunt turbatique ob Chriſti aduentum, Principes fuerunt, Gubernatores, Concilium Hieruſalem. Obiicies: Illine ergo Chriſtum ignorabant quis eſſet? Paucis ante diebus de illo multa inter ſe fuerant collocuti, de eius vita, miraculis, doctrina, operibus, & tandem mortis reum conclamarant. Num forſitan illius notitiam deperdiderunt? quomodo quærunt: *Quis eſt hic?*

*D. Hier. In hunc locum.*

Optimè reſpondet Iudocus Clictouæus, qui deperditos libros D. Cyrilli ſuper D. Ioannem luci reſtituit: quòd hæc non eſſet ignorantiæ interrogatio, ſed contemptus: eo modo quo notat Spiritus S. ſolere mundanos dicere de viro paupere, abiecto, quando inter viros honoratos loquitur. *Pauper locutus eſt, & dicunt: Quis eſt hic?*

*L. 6. c. 14.*

*Eccl. 13. 29.*

Familiare valde illis erat hoc pronomen *Hic* quotieſcumque in Chriſti deſpectum loquebantur. Declarat Chriſtus myſterium Venerabilis Sacramenti à ſe inſtituendum: at illi irriſoriè & aſpernabundi quærunt: *Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum? Quomodo poteſt hic.* q.d. Homo vilis, pauper, contemptibilis, & qui vix habeat, quo nudas contegat ſibi carnes: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Si Salomon eſſet, cui tanta ſapientia: ſi Moyſes, qui aquas in ſanguinem vertit, & tranſmutauit elementa: adhuc.

*I. Phariſæi in Chriſti contemptũ pronomine vtuntur (hic.)*

*Ioan. 6. 53.*

Porro

Porro *Hic*? *Quomodo poteſt hic*? Alij ſublimem eius doctrinam audientes, dicebant: *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit? Hic*, homo communis opificij manuarius, qui nullis vnquam aliis rebus, quàm lignariis intendit, vnde huic hæc omnia? Hoc eodem pronomine modo vtuntur in Chriſti contemptum, diabolica intentione, vt plebem ab eo honore quo illum venerabantur, retraherent æmuli, dum illis ſpectantibus tanto ingreditur triumpho, tanto plauſu excipitur, vt Rex, Dominus, Saluator, verus Deus: *Quis eſt hic*? q. d. Popule ſtulte: quid agitis? gens inſipiens num illum cognoſcitis, quem tanta pompa colitis? An ignoratis eum pauperem, fabri, filium, infimæ ſortis, cuius maximæ diuitiæ ſint ſerra, ſecuris, aſcia, dolabra, cælum. Vos obteſtamur attendite, *Quis eſt hic*? Si Moyſes quidam eſſet, qui ex patre Dei veniret, legis eius tabulas manibus ſuis deportans, cuius facies vt ſol prælucerer.

*Ioan. 7. 15.*

Si alter Dauid triumphans, præciſum deferens gigantis caput, qui populum Dei contriuerat, & ob hoc prodierunt illi obuiam, & ipſæ puellæ, gloriæ Dauidis cantatrices, tympaniſtriæ: Io Triumphe. Si Rex foret Salomon, cuius tam illuſtres erant donorum prærogatiuæ, vt ad eorum famam Regina Saba, ex remotiſſimis regionibus accurrerit feſtina cum toto ſuo comitatu, eum ſalutatura: eum, inquam, cuius probandæ ſapientiæ tot propoſita fuerunt argumenta: cum denique, cuius audire ſapientiam, vultumque videre deſiderabat terra vniuerſa cui Reges, terrarumque regna, vectigalia tributaque in ſignum ſoluebant obedientiæ. At ille? *Et quis eſt hic?* Vox hæc, vox eſt non Iacob ſed inuidi Eſau, Phariſæorum, quorum corda & viſcera mordax rodebat inuidia, quâ perciti diffamare, aſpernari & riſui exponere Chriſtum laborabant, diuertere populum, ne tali hunc honore exciperent, vt Regi congratularentur, vt Saluatori acclamarent, vnde & verbis aſpernatoriis ſic quærunt. *Quis eſt hic?*

II. Inuidia puerorum eſt vitium.

Propriiſſimè vocatur inuidia, vitium infantium: Diuino conſilio, quando Ioſue motus inuidiâ, eo quòd quoſdam ſeniores audiret ſpiritu prophetico adornatos, cucurrit ad Moyſen aitque, *Domine mi, Moyſes prohibe illos*. Eum vocat Spiritus S. puerum. Puer ætate non erat, ſed vir: ſic tamen audit vt declaretur, inuidiam vitium eſſe puerorum. Proprium enim illis quatomodo, dum vident alium quidquam habere, continuò ad patrem: aufer illi hoc. Non ſic Moyſes, erat enim vir, ait Spiritus S. vnde reſpondebat puero illi: *Quid æmularis pro me? Quis mihi tribuat, vt omnis populus prophetet & det eis Dominus ſpiritum ſuum?* Hic ſpiritus, ſpiritus eſt viri, quem non dolet videre, Deum aliis quoque ſpiritum ſuum communicare. At vero viſcera ſibi corrodere præ dedignatione inuidioſa, quâ cernunt Chriſtum tantò plebis applauſu Hieruſalem ſubintrare, ſicut ipſi ciuitatis maiores manifeſtant, vitium eſt puerorum, qui viliipenſionis verbis de Chriſto, *Quis eſt hic?* ſatagunt, vt ei plebs præſtitum deneget honorem, eum aſpernetur, eiiciat & vt hominem abiectum, viliſſimumque dedignetur.

*Num. 11. 28.*

III. Iſaac Chriſti figura.

Impleta eſt hodie celebris illa figura, quam nobis Spiritus S. prænotauit in Iſaac, viuo Chriſti prototypo & exemplari. Conceptus eſt & natus de miraculo, de ventre ſterili & annoſo, lactauit eum vbere de cælo pleno, nec enim ad hoc Saræ materna viſcera ſufficiebant, naſcitur in terra Geraris, vbi Sara peregrina cum Abraham marito ſuo morabatur, de qua poſtmodum ſedem mouit familia Abrahæ, naſcitur Iſaac: & admirati ſunt vniuerſi: educauit eum mater ſedula: attamen ablactauit eum, conuiuium opiparum inſtituit pater Abraham, quo omnes concurrunt, & de nato filio congratulantur, fauſtaque omnia apprecantur illius pueri natiuitatem celebrantes, ad quem deuoluenda eſſet hereditas, grauiter hoc tulit Iſmaël, inuidiæ facibus incipit exardeſcere (ita D. Ambroſ.) Cur igitur hic tanto fouetur honore? cur illi tot feſta, tot applauſus, cur concurſus populorum? cur heres bonorum? An non ego primogenitus? an non mihi hæc feſta honor ille, applauſus, & debentur de iure acclamationes? Et ſi mihi negentur, cur illi conceduntur? Interdebat (inquit D. Hieron.) illum priuare primogenitura: Illum attendite, cur talis feſtiuitas? Conuerſus ad cæteros, præſertim iuniores, coætaneos, illis perſuadet, vt Iſaac deſpicerent, negligerent, & maturius vter futurus eſſet heres, conſiderarent. Sic capit Caietan. hæc verba: *Vidit Sara filium Agar ludentem cum Iſaac*. Quis fuit ille luſus? arbitrantur aliqui Iſaac ab Iſmaële verberibus exceptum, alij deriſum. Textus Hebraicus (inquit Caietan.) ſignificat, Iſmaëlem conatum fuiſſe vt cæteri, qui eum ante fuerant venerati, modo dedignarentur: Ita enim legit: *Vidit filium Agar, facientem irridere Iſaac.* En tibi Chriſtum per miraculum, operâ S. Spiritus de ventre virginali conceptum cæleſti lacte enutritum in peregrina deductum â Matre in Bethleem natum. Vide Rupertum.

*Apud Lipom.*

*De quæſtionibus Hebraicis.*

*Gen. 21. 9.*

*Apud Lipom.*

**§. 3. *Fornax inuidiæ pectus eſt diaboli, proinde illam non vidit D. Ioannes inter ea, quæ ſunt in mundo.***

☞ 8 D. Hier. In c. 5. Ep. ad Galat.

QVis eſt hic? Hæc eſt quæſtio genuina, quam obiicit inuidia, & bellè declaratur illo tractatu, quem edidit D. Cyprian. de iſto vitio. Cui titulum prænotauit: *De zelo & liuore*: tam doctè compoſitum, vt D. Hieronymo non ſatisfuerit illum vocare optimum in ſuperlatiuo gradu, ſed inſuper addit vnum (*valde*,) quod phraſi Latinæ videtur inconcinnum, *Scripſit librum valde optimum*, & licet terminum hunc non admittat phraſis Latina, eum tamen operis meretur excellentia: Fuit in eo mens D. Cypriani probare, ſimul & declarare, quàm perniciosum ſit illud vitium, & ex eo nos docere, ac mouere, vt omni illud ſtudio ac labore euitemus; Ad hoc illud præſupponit principium: Inuidiam, proprium eſſe peccatum diabolo: Ob eam cauſam, ait, vocatur à Spiritu S. *Inuidia diaboli*. q. d. Inuidia quod peccatum proprium eſt diabolo, eo modo, quo dicimus, *Miſericordia Dei*, vt declaremus miſericordiam eſſe virtutem propriam Deo, vtpote quæ ſit ex eius viſceribus puriſſimè procedens, in eis genita, quaſi in propria officina. Ita *Inuidia diaboli*, ſignificat inuidiam, propriam eſſe diabolo, procuſam in eius viſcerum fornace, creatam quoque ac genitam ex propria ſua malitia, eiuſque filiam. Ob quam rationem etiam à D. Chryſoſtom. dicitur *Primum diaboli inuentum*: peccatum, quod inueniri tantum poterat in viſceribus Satanæ. Huius illa eſt ratio: eo quod peccatum illud nullum motiuum boni nec paruum, nec magnum habeat reſpectu eius qui illud committit.

L. de zelo & liuore. Sap. 2. 24. Hom. 46. in Gen.

Voluit cæleſtis illa Aquila, D. Ioannem intelligo, totius mundi peccata deſcribere, & ea ad tres reduxit ſeu contraxit categorias. *Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Quidquid in mundo mali eſt culpæ, naſcitur ex concupiſcentia, id eſt, ex alicuius boni affectu. Omnia verò bona reuocantur ad tres ſpecies, ſicut ex D. Ambroſ. doctrina probat D. Thom. *Vtile, honeſtum, delectabile.* Omnia mundi crimina committuntur, ex prætenſione alicuius horum bonorum, vel vtilis, vt ſunt diuitiæ, bona, hereditates: & hoc eſt, *Concupiſcentia oculorum*, vel boni honeſti, vt ſunt dignitates, honores, ſtatus, officia, cathedræ, præeminentiæ. Et hæc ſunt *Superbia vitæ*. Vel boni delectabilis; vt ſunt deliciæ carnales, ſenſualitates in cibo & potu, vel actibus inhoneſtis; & hæc ſunt: *Concupiſcentia carnis*. Poſſet quiſquam obiicere: Non videtur integra hæc diuiſio: dabo enim ego, & aliud vitium, quo nullum horum bonorum prætenditur: hoc autem eſt inuidia: inuidioſus enim, qui abhorret bonum quod cernit in fratre ſuo, non propter hoc, honorem vllum prætendit; non enim aliud eſt, quàm quædam mentis abiectio, proinde à Iob vocatur vitium puerorum, ac hominum abiectorum: *Paruulum occidit inuidia*. Nec ſimiliter per illud venatur bona quædam temporalia: nullum enim inde ipſi prouenit lucrum, quantumcumque in illo augeatur inuidia. Minus adhuc ſtudet voluptatibus deliciiſque potiundis: inuidia, abſit, vt illas aſſequatur, quin potius cum ſapiente dixero, & verum dixero, *Putredo oſſium; inuidia*.

1. Ioan. 2. 16. Lib. 1. de offic. c. 9. & 16. Iob 5. 2. Prou. 14. 30.

Reſpondebo, quod D. Ioannes non intenderit numerare, niſi vitia mundi, id eſt, hominum, 9
qui in mundo hoc viuunt, ac proinde dixerit: *Omne, quod eſt in mundo*: hi omnes peccant, ex prætenſione alicuius boni. Eſt autem homo animal rationale; ſed nec mouetur, niſi per id, quod eſt rationale, ſaltem in apparentia: Hoc autem illa ſuggerit, nihil fiat niſi alicuius gratiâ commodi, proinde, non eſt hominis mouere ſe niſi ad illud quod lucrari poteſt verum, aut apparens. Axioma eſt Ariſtotelis. *Nemo, intendens ad malum, operatur*, & declarat D. Thom. Inuidia verò non eſt vitium mundi, ſed inferni; nec hominum, ſed dæmonis. Hoc huic infauſto eſt proprium, non intendere in his quæ agit, quidquam, quod ſit ei bonum, quinimo, iuxta veridicam Theologiam, quidquid dæmon agit, in eius cedit maius tormentum, pœnam ac confuſionem. Tam anxius ſtudet animarum perditioni, vt, ſicut prædiximus Dominica antecedente, ſit hoc eius officium perpetuum. Falleris, ſi credideris hoc eſſe in eius quantumlibet bonum: minimè gentium; quinimo per hoc eius augetur cruciatus: quantò enim plures damnantur, tantò eſt diaboli pœna grauior; ſicut accreſcit gloria accidentalis Angelorum, quo magis accreſcit per eorum inſpirationes multitudo beatorum. Maturius expendit Diuus Petrus Chryſologus parabolam à Chriſto propoſitam, de patre familias, „*Qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo; cum autem dormirent homines, venit inimicus eius & ſuperſeminauit zizania, aliaſque malas herbas.* Pullulante ac germinante „ tritico,

1. 1. q. 1. a. 1. Inuidia, vitium non eſt mundi ſed inferni. Matt. 13. 24.

tritico, *Apparuerunt & zizania.* Accedunt famuli, conqueruntur: vnde hoc Domine? Vnde igitur tanta zizania, tot vepres, tot tribuli? Ne miremini filij; *Inimicus homo hoc fecit.* Quærit S. Doctor: Ad quid fecit hoc inimicus? quod lucrum, vel bonum ſibi in eo prætendebat? *Vt quid? Vt periret Dominica meſſis.* Dic mihi igitur quid hoc illi refert? *Hoc ad lucrum quid pertinet inimici?* An non igitur capis, quòd Chriſtus voluerit depingere peccatum proprium diabolo, nimirum inuidiam? Hæc enim in ſuis actionibus non prætendit, nec mentis oculos conijcit in aliquod bonum, ſed tantùm vt noceat, vt alteri damnum inferat, quod peccatum dicimus particularis malitiæ, innatum diabolo: qui in eo quod agit contra Deum, eiuſque Sanctos, ſibi aliud non intendit bonum, quam perdere, ac deuaſtare illud, quod in altero bonum inuidus contemplatur: *Inuidia ſpiritus hominum damna ſuum computat lucrum, & quod perierit hominibus, hoc ſe exiſtimat acquiſiſſe.*

D.P. Chr.

Creauit Deus hominem; vt campum pulcherrimum, fertilem, in quo ſeminauit illa cæleſtis gratiæ ſuæ ſemina, dona, virtutes, vitæ æternæ ſemina, mortis & omnium laborum inexpertem. Cernit hunc Satan, illicò accurrit, ſuperſeminat tam pernicioſa zizania, vt dirueret meſſem, & vitæ optimum; ex quo mors intrauit. Quid ſibi ſtuduit lucrari inimicus? Nihil aliud quàm euertere Adamum, & hominem cum tota ſua progenie interimere. Quod autem bonum ſibi? nullum, nec intendit fructum aliquem, aut beneficium aliquod ſibi, nec veſtigium quidem alicuius boni, aut voluptatis, ſufficit illi ſi bona perdat aliena. Ecce inuidiæ peccatum, pullus inferni: *Inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Ex inferno adduxit illam inimicus: eſt enim inferni peccatum. Quid, credis, boni diabolus prætendit, quando tam anxius, peruigil, indefeſſus in ruinam pellere Iudam laborauit, quod & illi feliciter ſucceſſit? Arbitraris, quòd ex eius damnatione, gaudium, deliciaſque hauſerit Sycophanta? Abſit omnino; ſingulari, torquetur ex tali conſorte cruciatu: quantò enim maior eſt numerus eorum, qui inter ſe digladiantur, ſe mutuo percutiunt, ac feriunt, tantò ſingulis accreſcunt vulnera crudiora. Ecce tibi inuidiam diaboli prolem, qui per hunc nullum ſibi bonum prætendit nec obtinet, ſed omnium dumtaxat nocumentum. Quid intendis, fratris tui inuidens bonis æmule? quid cordi tuo acquiris, niſi dolorem, vermem, cruciatum. Num ex hoc opes tibi lucraris auare? Quæ tibi inde lux, ſi candelam, quæ clarius lucet, exſufflas? Craſſioribus tenebris inuolueris. Hac ratione duo probat D. Chryſoſt. Primum, illud peccatum, cæteris ſuo modo multo eſſe grauius: tantò enim peccatum eſt grauius, quantò minus motiuum habet. In aliis peccatis communiter eſt aliquod motiuum, aut lucri, aut voluptatis, aut honoris: in hoc vero nullum omninò: *Omni prorſus caret vtilitate.* Secundum, *Omni venia caret illud peccatum:* Nullam enim habet excuſationem. *Fornicator concupiſcentiam prætendere poteſt, fur paupertatem, homicida furorem, frigidas quidem & irrationabiles, habent tamen, quas prætendant excuſationes; tu vero, quam dices, rogo, cauſam, niſi tantùm nequitiam?* Cum illud igitur vitium adeò proprium ſit ingenitumque diabolo, vocat Spiritus S. inuidos, eos qui ex parte eius ſunt. Ac proinde, dum dixit: *Inuidiâ diaboli mors introiuit* &c. Statim addit: *Imitantur illum, qui ſunt ex parte eius.* Idcirco dicit D. Ioannes de Cain: *Cain erat ex maligno.* Quia peccatum eius inuidia fuit: vt dicemus.

Sap. 2. 24. — D. Chr. Ho 33. ad pop. To 5. — Sap. 2. 24. — 1. Ioan. 3. 12.

## §. 4. *Inuidia peccatum eſt occultum: Ex duobus cognoſcitur effectibus, cordis & linguæ commotione.* Quis eſt hic?

10 ☜ DEinde ſupponit D. Cyprian. huius peſtis illud eſſe damnum maximum, quòd eius venenum tam occultè irrepat & inaduertenter, vt videri nequeat, donec actum ſit de anima; & hoc naturæ ſuæ valde conformiter. Eſt hoc vitium proprium venenum ſerpentis infernalis: & hoc vnum habet ſerpens, quòd mordeat valde diſſimulanter, inducit enim ſomnum, & infundit venenum tam inſenſibiliter, vt non aduertatur. Ideò, inquit Spiritus ſanctus, *Serpens mordet in ſilentio.* Propitius ſit mihi Deus; heu quantos mordet hic ſerpens: videntibus enim proximum honore præcellentem, infert anxium cruciatum, vt nec aduertant, nec ſibi proſpiciant tempeſtiuè. Tinea ineſt cocco ditiſſimo, veſtibuſque pretioſis, quæ producitur nullo id ſentiente, nec apparet, donec paulò poſt, pannos veſteſque explicans, offendis corroſas rimas, & ſciſſuras totumque exeſum. Et ob hoc, cum ſit maximi detrimenti (ait D. Cypr.) tale etiam eſt, de quo minus nobis præcaueamus. *Leue apud quoſdam, & modicum crimen videtur, dumque exiſtimatur leue & modicum, non timetur: dum non timetur, contemnitur, dum contemnitur, non*

L. de zelo cit. — Eccl. 10. 11. — D. Cyp.

*facile vitatur, & fit cæca, & occulta pernicies quæ dum minus perſpicitur, vt caueri à prouidentibus poſſit, improuidas mentes latenter affligit.* Febris lenta eſt, imperceptibilis, in Hecticam febrim degenerat, & penetrat vſque ad oſſium medullas. Millenos inuenias hoc veneno infectos, qui illo paulatim conſumuntur. quibus tinea hæc corda corrodit, nec proprium aduertunt damnum, nec malum quod pectori inſertum gerunt, in ſuorum viſcerum tormentum, & æternam animarum perditionem. Illud ipſum notauit mellifluus Bernardus perorans apud ſuos monachos: Multi, inquit, viuunt, ſed miſerè decepti, videntur enim, quia aliis ob receptum beneficium congratulantur, ſibi pleniſſimè ſatisfeciſſe: & turpiter falluntur: multoties enim in vitio inuidiæ hoc contingit, vt quantò maiori aliis congratulantur applauſu, tantò in eorum cordibus inuidiæ faces vehementius accendantur. *Mentientes noſmet ipſos nobis, ſentimus aliqui noſtrum pro noſtra imperfectionis experientia, quàm rara virtus ſit, alienæ non inuidere virtuti: nedum gaudere ad illam, nedum etiam tantò plus quàm ad propriam quemque gratulari, quantò ſe perpenderit in virtute ſuperatum. Adhuc modicum lumen in vobis eſt, Fratres, quotquot de nobis ita ſentimus.* Lucem hanc nobis acquiramus, vt bonam regulam in huius tam pernicioſi mali ſeruemus cognitione.

D. Ber. Ser. 19. in Cant.

In huius vitij remedium proponit D. Cyprian. duas regulas, quibus hoc latens venenum detegatur Et vnuſquiſque illud percipit, quàm primum ſeſe exerit. Cognoſcendum eſt hoc vitium, ſi aduertamus duos huius effectus ſatis patentes ac ſenſibiles quos ſtatim, vbi accenditur, in eo producit, quem inficit. Primus eſt internus in corde & viſceribus, vbi gignit rabioſam tineã, anxiam inquietudinem, commotionem magnamq́; turbationem. Secundus eſt, externus in ore, vbi verba gignit aſpernatoria: *Quis eſt hic?* Hoc probat D. Cypr. ſtupendis S. Scripturæ exemplis. Primus, in quo hoc patet, eſt ipſe diabolus, cuius pectus (vt prædiximus) fornax eſt, in qua primum excuſa eſt hæc peſtis & prima huius veneni officina.

Loco cit.

☞ 11 Condidit Deus hominem venuſtatis ſpeculum, gratia & iuſtitia originali prædotatum, vt ei illum concederet locum, quo diabolus exciderat. Vt vidit hoc Satan, inuidiæ facibus aduritur; Et quis huius inuidiæ effectus? Duo illa præfata, quæ Deus ipſe declarauit, dum eius pronuntiat ſententiam, in tanti peccati pœnam: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Infelix, terram perpetuò ore tuo commoles. Attendit D. Ambroſ. dubium illud omnibus ſatis obuium: Domine: Itane hanc ſerpenti imponis pœnam. Hoc ei naturale eſt terram edere, ſuper pectus repere, quod autem naturale eſt, laborioſum non eſt, nec in pœnam datur: ſicut nec aui, ſi ei imponeretur, vt per aëris vacua volitaret, nec piſci, vt maris vndas ſecaret, nec lupo, vt carnes deuoraret. Non ea fuit Dei mens, contra viſibilem ſerpentẽ pronuntiari ſententiam: huic enim nulla fuiſſet pœna, ad talia damnari, ſed inuiſibilem, ſcilicet diabolum, qui hoc ſerpente contegebatur: & euidenter pœna ipſa declarat, quod ex ſua inuidia illa naſceretur, in duobus, quos in perpetuum operaturus erat, effectibus. Primus, quòd pectus ſuum roderet & viſcera præ nimio liuore depaſceret, inſtar vermis corroſorij: ex eo quod videat hominem honoratum, diuinâ beatum gratia, illaque ſplendentem, iam in via, vt gloriam, Deique regnum poſſideat in æternum: Hæc eſt diaboli pœna maxima, tortura grauiſſima, videre terrenum hominem exaltatum, poſitum in honore, cui ſeruiant Angeli. Secundus effectus: quòd perpetuò terram comederet, eamque ſemper ore maſticaret: hoc eſt vilitatem hominis & abiectionem ei connaturalem, vtpote, qui terra ſit, & de terra plaſmatus ſurrexerit: Hæc eſt pœna diaboli, & quod in eo inuidia producit; quòd ſcilicet ex parte vna, pectus ſibi corrodat, exedat, lancinet eo quod nolens volens cernat hominem ſublimem, excelſum, Dei gratiis, doniſque ſuffultum; & ex parte altera, ſemper ore ſuo maſticet, reuoluatque hominis vilitatem dicendo: *Quis eſt hic?* Terræ ceſpes, luti figmentum, quo nihil vilius, abiectius nihil. Ad tantum honoris gradum? Ad talem gloriam? *Quis eſt hic?*

Gen. 3. 14.

L. de Paradiſ. c. 15.

Quod modo in diabolo notaſti (ait Spiritus S.) hoc ipſum inuenies in iis qui ſunt ex parte eius, quibus ſerpens ille morſu ſuo venenum hoc infudit abundantiùs *Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte eius* Horum primus fuit Cain, qui ob illam rationem à D. Baſilio vocatur. *Primus diaboli diſcipulus*: de quo D. Ioannes ob eandem rationem teſtatur, *Cain erat ex maligno* Vidit hic malignus fratrem ſuum Abel, à Deo ſingulari honoratum prærogatiua: eum malignus mordet ſerpens, cor inuadit, venenum ſuum infundit, inuidiæ flammas excitat gehennales. Qui huius effectus? Duo, primum, viſcera rodit, cor transfodit commordet Hoc loquebatur triſtis illa capitis demiſſio, ob quam illi Deus: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua.* Incedebat melancholicus, afflictus, frendens, ingemiſcens. Quid tibi deeſt maledicte? quid tibi vellicat animam,

Sap. 2. Ho. 11. de inuidia. 1. Ioan. 3. 11. Gen. 4. 6.

cor exagitat, viſcera depaſcitur? Inuidia: hæc enim pœna maxima eſt, videre præcellentiam, fratriſque gloriam. Secundum. Semper inter dentes balbutiebat. *Quis eſt hic?* Cur huic tanta gloria? *Quis eſt hic?* An non me minor? An non ego primogenitus? An patre genitus iuſtiore, vel natura præditus eminentiori?

Lib. 5. moral. c. 14. Gen. 37. 3. Idem aduertit D. Gregor. in fratribus Ioſeph. Aduertunt eum plus cæteris à patre diligi: eos enim virtutibus præcurrebat: hoc autem dicit textus, quod *Iſraël diligebat Ioſeph, ſuper omnes filios ſuos, eo quod in ſenectute genuiſſet eum.* Alij legunt. *Eo quod Ioſeph, filius ſenectutis, id eſt, ſenex.* Et lectio Chaldaica ſic habet: *Quoniam filius Sapiens erat ei.* De quo alibi. Ac proinde illum veſte polymita præ cæteris adornauit, quare confeſtim in inuidiam fratres rapiuntur. Ex hoc (Lib. de Ioseph. docet D. Ambroſ.) attendant parentes, ne filiolum præ cæteris veſtibus, muneribus, blanditiis honorent, hoc enim eſt fomitem inuidiæ miniſtrare. Hinc in eorum cordibus exarſit odium diabolicum, cordis dolor, viſcerum cruciatus, verba dedignatoria. *Videntes fratres eius, quòd à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. Quid eſt* (petit D. Chryſoſt.) D. Chry. Tom. 1. *non poterant pacifice loqui: quia affectio dominabatur eis, & inuidia quotidie creſcebat, quaſi captiui facti, & tyrannidem huius mali ferentes, in dolo loquebantur.* Mille verba contemptus euomebant in illum coram ipſo etiam patre ſuo ex SS. Patrum Græcorum ſententia, quod noſtra vulgata lectio legit: *Accuſarunt apud patrem crimine peſſimo*, hoc legunt ipſi iuxta Septuaginta; *Accuſabant eum apud patrem crimine peſſimo.* Ita hunc locum explicant Origen. Theodoret. D. Cyrillus & Diodorus. Acceſſerunt ad patrem dicentes: quis iſte amor ô pater? Noſti, quem tanti æſtimas? nebulunculus eſt & impoſtor.

§. 5. *Videre eſt in Saul binos hos effectus inuidiæ, quem ſpiritus nequam excruciabat.*

a 1. Lib. 2. q. ad Simplic. q. 1. b Lib. 2. mor. c. 10. c Lib. 3. ſent. c. 5. d 1. Reg. 16. 14. PAtent omnia luce clarius in Rege Saule, in quem ingreſſus erat ſpiritus infernalis, quaſi in domum ſibi propriam: cum nedum ipſius poſſiderit animam, ſed & corpus. Vt autem hoc declaret Spiritus ſanctus vtitur termino quodam, quem Sancti Patres grauiter expendunt. D. Auguſt. *a* D. Gregor. *b* D. Iſidor. *c Exagitabat eum ſpiritus nequam d.* q. d. Spiritus malus. An ergo diabolus inuenitur bonus? Omnes enim tam mali ſunt, vt Chriſtus voluerit nobis declarare idem eſſe: diabolus, & malus, ac proinde nos docuit, vt oraremus: *e Sed libera nos à malo.* Similiter in parabola de ſemine, id quod duo Euangeliſtæ referunt dixiſſe Chriſtum: *Venit diabolus & tollit verbum de corde eorum.* At alius refert eum dixiſſe: *Venit malus, & tollit verbum de corde eorum.* Diabolus enim pleno gutture vocatur malus, & nulla eſt inter vtrumque differentia: quia idem eſt (*diabolus*) quod (*malus*) verum eſt, concedo; ſed licet omnes diaboli mali ſint, eorum tamen multi, non ſunt tam ex toto mali, quod nullam præferant apparentiam boni, in eo, ad quod hominem tentant, ſeu mouent: vtpote deliciarum, vel honoris vel ſenſualis appetitus, vel voluptatis, vel diuitiarum. Ille qui Saulem exagitabat, plenis buccis, & cunctis manibus, erat diabolus malus per omnes caſus: *Spiritus nequam*: nullo enim modo, aliquid habebat, quod vel minimi boni haberet apparentiam, quia ille ipſe erat, qui eum ad inuidiam prouocabat.

Matt. 6. 13.
I. Diabolus & malus conuertuntur.
e Marc 4. Luc. 8. 12. Matt. 13. 19.

Compoſuit Abbas Caſſianus octo tractatus, de ſpiritibus malis, hoc eſt de diabolis, qui ad peccata homines ſollicitant: Hi ſunt diuerſi: aliqui enim ſunt, qui particulariter inſtigant ad vnam ſpeciem peccati, alij ad aliam. Aliquibus proprium eſt inclinare ad luxuriam, illos vocat S. Scriptura *Spiritus immundos*: alij ſuadent mendacia, illos dicit: *Spiritus mendaces*: alij inducunt ad errores: hos nominat *Spiritus erroris*: alij prouocant ad gulam, quos Caſſianus intitulat: *Spiritus gaſtrimargiæ*; alij ad diuitiarum opumque theſauros: hi ſunt *Spiritus philargyriæ*: De his & illis licet mali ſint, dicere tamen poſſumus quòd aliquid habeant boni; idque in duobus. Primum (ait Caſſian.) quod habeant facile remedium ex virtute oppoſita; per illam enim deſtruuntur. At inuidia remedium habet difficillimum, & quàſi impoſſibile: cum ex ipſa virtute radices agat profundiores, & eò creſcat amplius, quò virtutes, quas in aliis inuidet ſunt illuſtriores. *Ipſis remediis, quibus cætera extinguuntur, accenditur.* Quocirca D. Pet. Chryſol. inſimulat hoc vitium, tanquam incurabile. *Quos contigerit, non patitur iam ſanari.* Et hæc debet eſſe ratio, cur Abbas Caſſian. agens de omnibus ſpiritibus malis, non tractet de inuidia: tractat enim de iis, qui curari poſſunt, & eius eſt propoſitum præſcribere ſingulis vitiis, ſingula remedia, videtur autem hoc vitiū omnem reſpuere medicinam: non quòd ei curando nullum ſuperſit remedium, ſed quòd ſit inexhauſti laboris

Cassia.
Collat. 18. c. vlt.
II. Inuidia vix eſt curabilis.
Serm. 172.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

opus. Quocirca Sancti eum quaſi omnibus aris præſidiiſque deſtitutum exiſtimant, cui tale vitium dominatur. Probat hoc D. Baſil. [Ho.11 de Inuidia.] ſed particularius D. Chryſoſt. [Ho.44. ad pop. To.5.] comparando fornicarium Corinthium virum qui erat aliis ſcandalo, cum Caino: cuius licet peccatum grauiſſimum fuerit, correctus tamen & caſtigatus per Apoſtolũ, vitæ priſtinæ ſordes eluit per pœnitentiam, ad ſtudia meliora conuerſus; Cain autem admonitus, correctus, minis territus ab ipſo Deo, nullum ſuſcepit ſalutis remedium. [D. CHR. Hom. 36 in Ioan. To.3.] *Quidam olim apud Corinthios fornicatus eſt, ſed accuſatus fuit, & breui correctus. Abeli Cain inuidit, ſed ſanatus non eſt quia & Deo ſtatim ipſius vlceri curam afferente magis intumeſcebat, & fluctuabatur, & in eadem properabat.* Ex quo fonte declarat idem D. Chryſoſt. rationẽ, ob quam Cainum peccantem, Deus ipſe maledixerit: [Gen.4.11.] *Maledictus eris ſuper terram.* Adamum vero inobedientem, non maledixit ſed terram: [Gen.3.17.] *Maledicta terra in opere tuo.* Ratio autem eſt hæc, quia Deum alicui maledicere eſt quaſi eum vt incorrigibilem, & perditũ abiicere, proinde in Adami peccato maledixit ſerpenti, vel dæmoni in ſerpente: [Gen.3.14.] *Maledictus es ſuper terram.* Et eodem modo maledixit Cain vt omnibus pateat, quòd cum eius crimen fuerit inuidiæ peccatum, & ingenitum diabolo, iam ex nunc de eius ita poſſis, atque de diaboli ſalute deſperare. *Facinus iniquum, & inexpiabile flagitium* (ait D. Chryſoſt.) [D.CHR. Tom.5.] *ipſe pœnam luit, & quia ferme eadem agit, quæ ſerpens, & quaſi organum ſeruiuit diaboli voluntati, eâdem videtur pœnâ mulctatus.*

Secundum, in quo alij dæmones tentatores boni aliquid habent, hoc eſt, quia illud ad quod pelliciunt, & mouent: aliquam habet rationem boni, ſeu veri, ſeu apparentis. Hoc ſpecificatum deducit D. Chryſoſtom. [Hom.43. ad pop.] Diabolus tentator ad immunditiam, aliquam habet rationem boni apparentis: nimirum dum repræſentat, delicias ac voluptates. Ille vero qui ad intemperantiam: ſaporis habet rationem. Qui ad cupiditatem impellit; pecuniæ, opumque pallio tegit peccatum &c. Attamen diabolus ille, qui cordibus inuidiæ faces conatur inijcere nihil habet, quod ratione boni pallietur, nec quidem apparentis: non enim allicit ad guſtui delectabile, ad vtile, vel honeſtum, ſed hæc omnis eius eſt cura adferre cruciatus. Ob hoc ei proprium nomen à Spiritu ſancto imponitur. *Spiritus compunctionis.* [Rom.11.8.] Ita D. Paul. *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis*; allegans illud Iſaiæ: [Iſa.6.9.] *Immiſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis.* In Hebræo legimus verbum quod deriuatur ab eo quod ſignificat, transfodere, lancinare, mordere. Ac proinde genuinè ſignificat; ſpiritum lancinatorem, pungentem, mordentem. Aptiſſima ſpiritus inuidioſi deſcriptio, cum ei proprium ſit viſcera transfodere, vulnerare, diſtorquere, & quot bona ſunt, quibus frater gaudet, tot ſunt ſpicula, lanceæ, quibus viſcera transfodiuntur inuidioſi. *Quot ſunt proſperitates hominum, tot tormenta ſunt inuidorum*, ait D. Petrus Chryſolog. [Ser.172.] Qui igitur hoc corde ſuo admittit recipitque vitium, in eum immitis intrat inimicus, qui eum lancinet, & canis rabidus, qui eum dentibus dilaceret: *Inuidia* (ait S. Hieron.) [D.Hier. a Ep.99. ad Aſellam. To.1.] *ſuorum carnifex, torquet animos, diſcruciat mentes, corda corrumpit. Inuidia* (ſcribit D. Hieron. a) *primum mordax tui.* D Baſil. b [b Ho.11. de inuid. Tom.1.] Idem definit, ex ſuo genere, ſcilicet, dolore: *Inuidia eſt dolor de proximi proſperitate, ac rerum ſucceſſu conceptus.*

Hinc deducit Caſſian. c [c Coll.18. c.vlt.] D. Paulum de eo loqui peccato, quando dicit: [d Heb.12.15.] *d Radix amaritudinis*, alludens ad id, quod de eo dixerat Moyſes, [Deut.29.18.] illud explicans iiſdem verbis: *Radix germinans fel & amaritudinem.* Non enim congruentius quidquam dici poterat, quo intelligeremus, id quod vitium iſtud in anima operatur. Et ſatis patet in Cain, hac peruerſa paſſione commoto: honor enim ille, quo Deus Abelem fratrem dignabatur, eius exedebat viſcera, felleum amarumque turbabat triſtem, capite inclinatum: ob quam rationem eum Deus ſic interrogat: *Cur iratus es, & cur concidit facies tua?* [Gen.4.6.] Similiter & in fratribus Ioſeph; quibus hoc ſpiritu compunctionis ſuperatis, quidquid aduertunt à patre, beneficij, ac amoris impendi Ioſeph præ cæteris; illud intima illis cordium depaſcitur, nec vllum tribuit locum quieti inuidioſis. Hic diabolus ille malus: Libera nos, ô Deus, à malo.

Hic igitur ingreſſus eſt Regem Saul: quia (vt 13
præclarè D. Petrus Chryſolog.) [Ser.172. cit.] nec ipſis parcit Regibus. *Reges vrget.* Nec mireris: eſt enim tinea, quæ coccum pretioſiſſimum aggreditur, ac proinde eius primum natale fuit in cælo: Illa enim altiſſimarum cedrorum pectora, primum hanc tineam germinarunt. Notat Saul Dauidem opilionem gloriâ celebrem, ob deuictum, proſtratumque gigantem Goliath. Aduertit, quo eum cuncti honore venerentur; Actutum excitatur in illo vermis inuidia; & ecce, duo, quæ prædiximus in eo confeſtim operatur. Primum intus in anima; ſæuiſſimis agitatur doloribus, cruciatibus anxiatur extremis, rabidis morſibus dilaniatur, [1.Reg.16.14.] *Exagitabat eum ſpiritus malus.*

*lus.* Secundum exterius in ore: continuò enim interrogat. *Quis eſt hic?*

Refert Spiritus Sanctus quòd obtentâ de turre illa carnea Goliath illuſtriſſima victoria, ſummâ pompa, & populi totius applauſu feſtiuiſſimo ingreſſus eſt Dauid Hieruſalem, in Regis Saulis conſpectum; cui ille: *De qua progenie es, ô adoleſcens?* (1. Reg. 17. 58.) Quo ſanguine natus? Oritur modo difficultas qua ratione hoc Saul quærere potuerit; optimè enim nouerat ille Dauid, nouerat & filium Iſai, nouerat & ouium paſtorem, nouerat concinnè pſallentem cithara: vnde paucis ante elapſis diebus agitatus melancholico humore nuntios miſit ad Iſai: *Mitte ad me Dauid filium tuum, qui eſt in paſcuis:* (1. Reg. 16. 19.) vt pſallat coram me, & lenius habeam. Miſit Iſai filium ſuum Dauidem, magnis grauem muneribus, qualis tunc temporis magna habebantur, præſentem iam Dauidem creat Saul ſuum armigerum, qui ex eius oculis, numquam recedebat. Poſt hæc, paulo antequam Dauid contra Goliath deſcenderet in arenam, collocutus eſt cum Saule de ineundâ monomachia, ad quam ei Saul regia ſua arma proponebat. Quid hoc igitur ô Rex, tam velox tibi Dauidis excidit cognitio: vt iam de illo quæras, vt ignorans: *De qua progenie es, ô adoleſcens?* a Opinatur D. Auguſtinus b quod iam præterfluxiſſent aliqui dies, quibus Dauid barba creuerat quodque proinde eſſet Regi incognitus: hanc opinionem ſequitur Cardinalis Caietanus. Licet aliquam patiatur difficultatem: conſiderato enim textu non tantum interlapſum eſt temporis, vt tanta potuerit interuenire mutatio. Theodoretus arbitratur quæſtionem hanc ortam ex inuidia, quâ Dauidis gloriam obſcurare conabatur. Videt illum triumphantem, omnem populum ei manus tendentem, ad ſiderâ extollentem: hoc ei bilem mouit, ob hoc indignatur, & interiori animo dedignatur: vt vero eius euertat gloriam, voluit publicè notificari eius progeniem. Et cunctis innoteſceret, Dauidem filium eſſe viri abiecti de Bethlehem Iſai: q. d. Ita mihi bene ſit, en qualem honoratis: *Quis eſt hic?* pauperculus, paterni gregis opilio. Innatum hoc inuido (teſte D. Baſilio) vt proximi ſui bona, ac præclara deſpiciat facinora, in publicum adducere, ſi quos patitur defectus, velut lapillus ille: cum enim ſtatua illa tam pretioſis radiaret conſtructa metallis, in pedes tamen luteos illiſit, quo hæc omnia ſunt *redacta in fauillam æſtiuæ areæ.*

a Vide Gloſſam Ordin.
b In c. 17. lib. 1. Reg.
In Lib. 1. Reg. q. 41.
Hom. 11.
Dan. 2.
Lib. de zelo & liuore.

Hinc patebit (teſte D. Cypriano) quam commune ſit illud vitium, licet adeo diſſimulatum: Quid cogitas, quid ſit: cum alio narrante, quòd vicinus tuus talem adeptus eſt dignitatem, ſeu honoris gradum, ſubrides & oculos in terram declinas? Signum eſt amaritudinis cordis tui, quæ te velut alterum Cain corrodit intrinſecus: & continuò erumpis in hæc verba: *Quis eſt hic?* An non talis filius? Incipis eius oſſa eruere, eius defectus enarras & lingua tua eius concutis pedes, è quibus ſtatua exurgit. Prodit honoratus beneficiis: audis hoc, & obſtupeſcis; & totus meditabundus, quaſi tibi cordis fibras conſtrinxiſſent, confeſtim quæris ſtomachabundus. *Quis eſt hic?* Parcat mihi Deus; num tale tali? talis tali filio? Alius diuitiis accreſcit: videris attonitus: quaſi hoc tibi inſipidè, amareque ſapiat, & corde faſtidioſo acerbiùs eructas: *Quis eſt hic?* Scito verò hanc naturalem eſſe inuidiæ quæſtionem, velle mortuos effodere, producere ſtemmata, genealogias, propalare, quæ noſti malefacta, vel quæ, vt talia damnas temerarius. Chariſſime, proprium agnoſce peccatum, vide, quem pectore geris colubrum infernalem. Modo notiſſima tibi erit horum maledicorum inuidentia. Vident Chriſtum tantâ gloriâ celebrem, tanto applauſu receptum: ilicò inuaſit eos inuidiæ Spiritus, Spiritus lancinator, *Dedit illis ſpiritum compunctionis.* Illo intrinſecus exagitantur, cordis ſibi corrodunt viſcera: & nullum in Chriſti laudem proferebatur verbum, quod illis cor non transfoderet, commoueret, laniaret. *Commota eſt vniuerſa ciuitas.* Ilico autem audies illos ore reuoluentes, & dentibus commolientes: *Quis eſt hic?* Nunc ergo, ita viuam, maturiùs attende, cui talis gloria? cui talis applauſus? cui congratulatio tanta? *Quis eſt hic?*

III. Inuidia mortuorum profert defectus.

Perelegans eſt illa D. Chryſoſtomi conſideratio: Natis patri Iſaac Iacob & Eſau: fames valida regionem illam oppreſſit: deliberat Iſaac de terra diſcedere: at illi Deus: ne diſceſſeris: & licet enim alios, non te tamen fames eſt oppreſſura, & vbi cæteri non metunt, ne paleam quidem, triticea erit meſſis tua, eaque centenaria: ob patris tui Abrahæ præclara merita, qui iuſſis meis obediens, mandata mea, ac ceremonias cuſtodiuit, & quæcumque illi præceperam. Dixit hoc Deus ratione illius præcepti: *Egredere de terra tua &c.* (Gen. 12. 1.) Et ob ceremoniam circumciſionis. Dicit illa Deus Iſaac (ait D. Chryſoſtomus) Primò: vt oſtendat, quanti faciat merita iuſtorum Patrum: in quorum gratiam, filiis eorum benefacit liberalis. Secundò; vt animos

det Iſaac. *Erigit mentem iuſti, & vt Patris imitator, fiat, efficit: Num ſi ille, inquit, qui meæ obediuit voci, tanta pollicitatione dignus eſt habitus, & propter illius virtutem in te, qui ex eo natus es, ſum impleturus: Si & ipſe imitator illius fueris, & eadem, qua ille, via inceſſeris, cogita quantam apud me beneuolentiam habiturus ſis, & quanta menſura te ſignaturus ſim?* Omnium primum aggreditur, patris ſui Abraham detegere puteos erat enim terra illa ſterilis & inaquoſa, vt autem huic incommodo ſuccurreret Abraham, multos ſibi effoderat puteos, vt patet ex libro Geneſis. Omnes vero hi obſtructi erant & terra repleti; hoc egerat inuida Palæſtinorum malitia, qui eos infecerant & lapidibus oppleuerant. Venit Iſaac, primum eos expurgat, aquam illis extrahit, ſeminat, & licet terra illa eſſet infœcunda: *Inuenit in ipſo anno centuplum, benedixitque ei Dominus, & locupletatus eſt homo, & ibat proficiens, atque ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt.* Notant hoc Palæſtini: *Ob hoc inuidentes ei Palæſtini, omnes puteos illo tempore obſtruxerunt, implentes humo* Dicit quoque Iſaac Rex Abimelech: *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde* Subintrat D. Chryſoſtomus aitque: *Conſidera quanta illorum malitia, qui & aquas iuſto inuidebant, & neque Rex inuidiam continere potuit, ſed dicit: Recede à nobis.* (O proditores) *Cuius gratia abigis iuſtum? num aliqua in re tibi nocuit? num iniuriam intulit? Sed ita ſe habet inuidia, nihil cum ratione operatur. Oportebat eum ſpectare, & attendere, quem omnium Deus tanta gratia proſequebatur, magis fouere, & ſeruiendo, vt honore in illum collato, etiam ipſi ſibi diuinum fauorem conciliarent. Illi autem non ſolum hoc non faciunt, ſed expellere tentant, & dicunt: Abi à nobis. Ita agere ſolet inuidia, non poteſt benignè videre aliorum felicitatem, ſed felicitatem proximi ſuam putat infelicitatem, & tabeſcit bonis proximi.* Iuſtum abigis? Ille ſolus ſufficit, quô conſeruetis. O Chriſte Sancte Iſaac! Quot puteos foderunt Prophetæ? cunctos aperuit, quos obcæcauerat malitia Palæſtinorum. Primatum vrbis Hieruſalem, cæleſtis aquæ doctrina terram fœcundat in diuinæ perſonæ cognitione. O quàm multiplicem populorum colligit meſſem, qui ad fidem conuerſi diuinitatis, eum confitentur, ei congratulantur, & vt vero Deo ſuo hilares famulantur. *Propterea inuidebant ei*, cumque mundo illuminare conituntur Scribæ & Phariſæi, in eius necem conſpirant Primores Hieruſalem. Hic eſt effectus inuidiæ, te namque commotum grauiter, inuidumque conturbat acerbiùs, dum proximum vides præ cæteris exaltari.

Gen. 26. 15.

Gen. 26.

IV. Inuidia alterius non patitur felicitatem.

DIVVS CHR. In c. 26. Gen. To. 1.

## §. 6. Populi dicebant. *Per ignorantem populum confundit Deus ſapientes; & tranſmutat cælos, & terram.*

15 HIc eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ. Hæc eſt populi reſponſio; aduertit autem Eccleſia mater in Officio Dominicæ Palmarum, quòd Spiritus S. per os turbæ huius loquebatur, ac proinde eam vocat: *Beata turba*, quinimò liceat nobis dicere, idquod Dauid mulieri, quæ ſibi propoſuerat argumentum, ſubtilius multò, quàm à muliere quis poſſet expectare *Verè Ioab eſt, qui poſuit verba hæc in ore tuo.* Hoc huic beatæ turbæ dicere poſſumus, Spiritus S. eſt, qui poſuit verba hæc in ore tuo, ac profunde pluribus redundant myſteriis quàm litteris, nedum ſyllabis. Primò intendit Spiritus S. confundere Principes illos, Sacerdotes, & Doctores, licet enim eſſent Chriſti miracula, & huius diuini lux adeo ſplendida, vt eam cæci & videcent, & agnoſcerent, ipſi tamen adeò obcæcabantur, vt velut veſpertiliones ac noctuæ obtenebrarentur, & impleretur vaticinium Habacuc, quòd illi, quos cælos diximus, lucis Chriſti gloriâ radiiſque obnubilarentur. *Operuit cælos gloria eius.* Et inquirunt curioſi: *Quis eſt hic?* Et terra, id eſt, populus, adeò laudis eius eſt plena, vt canora voce reſpondeat: *Hic eſt Ieſus: laudis eius plena eſt terra.* Viden' hic impletum Chriſti verbum, poſtquam cæco nato viſum luto ſuo dederat: *Ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant?* Aduerbium hoc (*vt*) non eſt particula cauſalis, vt notant D. Auguſtinus, D. Chryſoſt. & D. Thomas; ſed quid futurum ſit, indicat, nimirum, quòd illuſtrioribus ſuis miraculis, cæci viderent, & clarè videntes, excæcarentur. Quàm cæci erant hi, qui mundi oculi cenſebantur? quàm huius diuini ſolis radiis obtenebrati? quàm obſcurati? quàm perculſi; dum quærunt: *Quis eſt hic?* Et quàm claram lucem populus nanciſcitur, qui tantis ſolebat eſſe tenebris obuolutus? *Quis cæcus niſi ſeruus meus?* Quæ fidei profeſſio tam perfecta: Confeſſio tam illuminata? *Hic eſt Ieſus.*

Opinantur Origen. *a* D. Cyrillus *b* & S. Iuſtinus Martyr *c* impletam eſſe propheriam portentoſi illius ſtupendique miraculi, quod Deus per Vatem Iſaiam prædixit futurum, in aduentu ſuo in mundum, quod ex profeſſo declarat D. Paulus. 1. Cor. 1.

Eccle. in benedict. Ramor.

2 Reg. 14. 19.

Habac. 3. 3.

Ioan. 9. 39.

In cap. 9. Ioan.

Iſa 42. 19

a In c. 15 Matth.

b In c. 29. Iſai.

c Dial. aduerſ. Triphonem.

Primum

Primum proponit hypocriſes Principum, Sacerdotum, ac Doctorum, deinde nefaria ſcelera, ab ipſis committenda, in quorum ſupplicium ita (Iſa.29.14.) Deus: *Ideo ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupendo: peribit enim ſapientia à ſapientibus, & intellectus prudentium eius abſcondetur.* Septuaginta ſic habent: *Ecce ego addam, vt commutem populum iſtum, & commutabo eos: peribit ſapientia* &c. Quæ iſta commutatio, quam ſic minaris te facturum Domine? An forſitan illa, quam prædixiſti poſtmodum per Aggæum Prophetam. *Mouebo cælum &* (Agg.2.7.) *terram.* Quod terra ſit in cælum commutanda, facta iam cælum: & cælum commutandum in terram, factum iam terra? Perſpicua eſt D. Greg. (Li.2.Moral.c.16.) doctrina, quâ tractatus hos exorſi ſumus, per cælos intelligi Pontifices, Sacerdotes, & Principes; per terram autem populum: illi enim aliis lucem communicant cognitionis Dei, influentias myſteriorem Dei, inſtructiones; & aquas cæleſtis (Malac.2.7.) doctrinæ. *Legem ex ore eius requirent.* Locutus eſt Deus de Sacerdotibus: erit eorum os ſeu lingua cælum quoddam ſupernum, quod emittat influentias lucis, doctrinæ &c. Attende iam miraculum ſtupendum, ſummaque admiratione venerandum: *Admirationem faciam populo huic miraculo grandi;* Quod modo cælum hoc, in terram commutatum, ſpiſſum & obſcuram, interroget: *Quis eſt hic?* Et populus appareat cælum illuſtre, clarum, quod lucis emittat ſplendidiſſimos radios: Reſpondens: *Hic eſt Ieſus* &c. Et ſicut ante legem populus ex ore requirebat Sacerdotum ac Principum. *Legem de ore eius requirent:* Ita modo accurrunt illi populum interrogantes qui eos doceat & inſtruat.

(Ibi 16. 2.Pet.2. 16.) Stupenda eſt hæc commutatio: *Admirationem faciam.* Opinor vatem alludere ad id, quod grauiter expendit D. Petrus circa miraculum & commutationem illam numquam auditam, fa- (Nu.22.) ctam autem peruerſo incantatori Balaam. Cum enim ille eſſet qui hactenus direxerat, & deduxerat aſinam, in tantam incidit cæcitatem, vt aſina ipſum dirigeret, doceret, Angelumque ſibi adſtantem demonſtraret, quem ille nec viderat, nec nouerat talpa cæcior. Iter Dei contrarium voluntati arripit infamis hic præſtigiator, ea intentione, vt ſuis populo Dei præſtigiis malediceret. Toto mentis furore iumento inſidens proficiſcitur, inſatiabili ductus auri cupiditate, quale ei promiſſo regio adiurauerat Balac, adeo ſuæ paſſionis tenebris obcæcatus, vt Deo illi obuiam mittente Angelum ſuum, qui illum in bonam reducat viam, ipſo ex oppoſito adſtante, idque tam euidenter, vt cum animal & videat, & veneretur, ille tamen adeò ſit cæcus, vt Angelum nec videat, nec cognoſcat, quinimò volens inceptam ſuam proſequi ſtultitiam, in aſinam inſurgit, duriſſimis illam fuſtigans verberibus non ſemel ſed iam tertiò, tanta bile, vt ipſo teſte, ſi gladium habuiſſet ad manum, aſinam transfodiſſet.

Adeſt Deus in iumenti ſubſidium, & eius reditum; aſinæ os ſoluit, linguam mouet vt loquatur, idque tam perfectè, & elata voce, vt Prophetam conuincat inſipientiæ; quid agis? cur me cædis? quid defectus in me reperiſti? Oculos aperi, attende perſpicax, quem hic tibi habeas præſentem, Angelus eſt de cælo miſſus, quem tibi Deus mittit in tui medicinam. O cæleſte myſterium (ait D. Petrus): Ecce Prophetæ cæcitas demonſtratur; illius Prophetæ, qui ſe cæteris præferebat oculatiorem; & patuit, quòd cæcus eſſet & inſipiens, ille qui ſe cæterorum iactabat præceptorem. *Hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ inſipientiam.* O quæ commutatio: cui quem regere conueniebat: homini iumentum, aut iumento hominem? Quis quem dirigeret, & erudiret? An Propheta aſinam, vel aſina Prophetam? Indubium eſt: Prophetam hactenus inſtruxiſſe ac direxiſſe aſinam: Attende modo ſtupendam immutationem, quod ille, qui ſe Prophetam gloriabatur & deducebat aſinam, ita obtenebretur, vt id quod animal videbat, ipſe minimè cerneret, animal tam ſapiens ac prudens, vt eum dirigat, erudiat, Angelum demonſtret, quem ipſe nec ſibi adſtantem aut vidit, aut cognouit. *Prohibuit* (ait D. Petrus) *Prophetæ inſipientiam:* illum illuminauit, *voce hominis loquens.*

I. Aſina docet Balaam. 2Pet.2. 16.

Conſentiunt omnes, animal illud, cui Balaam inſidebat, & eum in viam dirigebat: populum ſignificare, quem dirigebat, docebat, & illuminabat chorus ille Sacerdotum, Doctorumque concilium. O malo fide enati, quàm cæci temporalium bonorum cupiditate, viam arripiunt perditionis vt Ieſum perdant, ſupremi concilii Angelum Errabundis, & à recta ſalutis ſemita deuiantibus occurrit hodie diuinus ille Angelus, eorum ſe offert conſpectui, portas ingreditur ciuitatis, nec tamen tenebriones eum aut vident, aut cognoſcunt: videt autem illum & recognoſcit iumentū: cum illi omnis populus lętus occurrat, humiliſ eum ſuſcipiat, maximè ſolemni introducat Maieſtate, Regem, Meſſiam, verum Deum, & Saluatorē voce acclamet contentioſa.

Siſtit ac detinet eos iumentum in via, qua perdere iſtum conabantur, & executioni mandare

dare mortis ſententiam, iam dudum in eum prolatam in conceſſu xenadhrin. Laborant illi iumentum ferire, ac verbis his acerbioribus lapidare: quibus plebem arguebant: *Quis eſt hic?* hoc enim, vt præluſimus his dicteriis intendebant. Porrò, hoc caſu, quo Sacerdotum illuſtris chorus adeò obtenebratur; lynceos populus acquirit oculos, cæleſti illuminatur ſapientia, vt ei Deus ora muta diſſoluat, linguam moueat vt dicat: *Populus dicebat. Hic eſt Ieſus Propheta.* Ita vt perdocta iumenti voce Deus Prophetæ conuincat tenebras, & craſſam confundat ignorantiam.

II. Populus docet ſapientes.

Tanta eſt Chriſti gloria, lux adeò reſplendet miraculorum, vt vel rudis ille populus, eum ex illis cognoſcat, eoque caſu, quo Sapientes deſipiunt & tanta luce obfuſcantur, vt contemptibiliter exquirant. *Quis eſt hic:* Populus tanta clareſcat luce, vt Magiſter ipſos doceat magiſtros, & Sapientibus ſapientior dicat: *Hic eſt Ieſus* &c. Hoc totum decreuit Deus in eorum confuſionem, vt ipſe declarat, finiens præfata Iſaiæ verba: *Non modo confundetur Iacob, neque modo vultus eius erubeſcet, ſed cum viderit filios ſuos opera manuum mearum, & ſanctificabunt Sanctum Iacob, & Deum Iſrael prædicabunt* &c. Modo, ita modo confuſi ſunt, & erubuerunt vultus eorum: cum viderent inferiores & plebeios gloriæ Chriſti celebres prædicatores. Adimpletur autem (interprete D. Chryſ.) id quod Dauid de ſolemni hac die præcinerat; vt ipſe Chriſtus approbat, *Domine Dominus noſter, quàm admirabile* &c. *ex ore infantium & lactentium, perfeciſti laudem propter inimicos tuos.* Infantes vocat, non tantum annis infantes, ſed etiam illos, qui ſcientia pueri ſunt, ſcilicet vulgarem populum. Vna populi inſipientis voce, quâ Chriſti cuncta myſteria declamantur ſuos confundere voluit inimicos; quis pudor illis ter maledictis Sapientibus Doctoribus, & Prædicatoribus quòd infantes populi, homines rudes, illos ſapientia præcurrant, ipſi Sacræ Scripturæ eructent myſteria, qui ea nec legere poterant, ipſi vero mille ignorantiæ tenebris inuoluantur?

*Iſai. 29. 22.* — *In Pſal. 8.* — *Pſ. 8. 1.*

En tibi rem non ferendam, duplici confuſione dignam: quam vidit in mundo Salomon ſapientiſſimus: *Vidi ſeruos in equis, & Dominos ambulantes ſuper terram, quaſi ſeruos.* Quæ confuſio talibus Dominis pediſſequos, equites factos: & equites pedeſtres ambulare? Mos eſt Deo (ait D. Chryſoſt.) quem D. Paulus præclarè extollit, confundere fortia debilibus, & ignorantibus Sapientes: nobiles abiectis & trioboli hominibus: vt eius pateat brachij magnitudo. *Elegit Deus infirma mundi, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt deſtrueret.* Elegit Deus Raab communem & meretricem (qualitates ſunt, quæ vilitatem eius produnt) ait D. Chryſoſt. vt populum ſuum confundat & rubore afficiat. Docuerat illos Deus, nullum eſſe alium Deum præter ſe, idque innumeris probauerat prodigiis, quæ coram eis patrauerat frequentiùs: nihilominus adeò obſtupeſcunt, vt illa adhuc præ manibus habentes, Deum abnegent, volentes alios ſibi fingi Deos, ſtultamque hanc & excerebroſam Aaroni proponant quæſtionem: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant: Si Dij* (obloquitur os aureum D. Chryſoſt.) *quare dicis: fac? quomodo enim dij fiunt?* Deus ex auro non conflatur: ſed ipſe eſt, qui cætera condidit: Componit Aaron vitulum, quem populus ingratus adorat, & in illo multos Deos: *Hi ſunt dij tui, qui eduxerunt te de Ægypto, ô Iſrael. Vnum reſpicientes, hi dij dicebantur, in eo ſanè, quem vnum videbant plures Deos ſimul adorabant.* Voluit Deus illos pudefacere ad hoc illuminat mulierem communem, meretricem, vile proſtibulum, inter Gentiles Chananæos in vrbe Iericho commorantem, quæ nullum viderat miraculum, nec prodigium, nec ſignum aliquod fieri; tiunitum tantum eorum perceperat, iam enim quadraginta præterfluxerant anni, à quibus Deus illa patrauerat, quando eduxerat populum ſuum de Ægypto, & eo ſolo eſt ad fidem conuerſa, ſancta, Deo Iſrael ſubdita, hunc vnicum Deum eſſe confitetur: *Dominus enim Deus veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum & in terra deorſum.* Sic ipſa exploratoribus Ioſue.

*Eccleſ. 10. 7.* — *Hom. 5. de pœnit.* — *1. Cor. 1. 27.* — *Exod. 32. 1.* — *Ioſue 2. 11*

Aduerte (D. Chryſoſt. monente) quis pudor, 18
electos Dei, tot mirabilium ſpectatores, cæleſti inſtructione eruditos, adhuc cæcutire, vt in vno vitulo Deos plurimos, & confiteantur, & venerentur: *Hi ſunt dij tui, ô Iſrael* &c. quos & illorum profitentur eſſe prodigiorum auctores. Vna vero mulier, inter pluralitatem Deorum educata meretrix, factum audiens ab annis quadraginta patratum in longè diſſitâ regione, vnum Deum Iſrael confitetur, eique tot mirabilium defert auctoritatem? quid hoc? Mulier infidelis, tam paucis adiuta ſubſidiis, Deum Iſraël, eiuſque mirabilia confiteatur eorumque ſe præconem inſtituat, illi vero, qui ea experiebantur, & præ oculis habebant, tam ſocordes tam hæreant obcæcati?

Quis pudor, quæ confuſio præceptoribus illis, ſenioribus illis, conſiliariis illis & rectoribus Bethuliæ, quos Spiritus S. vocat *Presbyteros* qui obſidionis

Iudith.8. obſidionis arctati anguſtiis, quâ Holofernes ciui-
III. tatem premebat, adeo turbantur omnis conſilij
Iudith expertes, vt nec ad Deum recurrant, nec eius mi-
mulier ſericordiæ confidant, vt oportet; ſed conſilia
inſtruit ineant minus ſalutaria, & fœdera diuinæ miſeri-
Sacerdo- cordiæ concipiant diſſentanea, ſi intra quinque
tes. dies illis non aduenerint copiæ auxiliares: quod
illis conſilium videbatur ſapientiſſimum. Prodit
autem mulier vidua Iudith, ſolitaria, quæ tantâ
Dei pollet ſapientia, & eorum quæ temporis po-
ſtulat neceſſitas, vt eos Dei tentatores accuſet, ac
ſummæ eſſe dementiæ conuincat, quòd illi ſum-
mæ ſapientiæ conſilium putauerant, eos inſtruat
& doceat ſaniora. Hæc eſt multorum confuſio.
Quis pudor Eccleſiaſtico, quòd ſæcularis oratio-
nis nouerit partes, & contemplationis arcana, &
ad ea præſignatas ſibi obſeruet horas, ille verò
nec prima orationis nouerit elementa. Quæ tua
confuſio, diuitiarum helluo, quod pauper ille mil-
le neceſſitatibus obrutus, prole grauatus, paupe-
rum miſereatur, eis fruſtum panis largiatur,
IV. etiamſi illud ori ſuo ſubtrahat: te verò cui ciſtæ,
Sæcula- cellaria, horrea tritico præ multitudine crepant,
res con- diuitem auarum, nec moueant pauperum gemi-
fundunt tus, nec Lazari vulnera? quæ confuſio tibi, vir
Eccleſia- nobiliſſime qui adeo es ab omni cura & occupa-
ſticos tione liber, vt cui tempus impendas, ignores; ſi
Miniſter verò publicè deputatus officio, cui nul-
la ſupereſt hora vacua quin diurno deficiat labo-
ri, nihil ominus roſario legendo inueniat oppor-
tunam, obeundis ſtationibus, & piis miſericordiæ
operibus congruam; tibi verò ad hoc ſolum defi-
D. Gre. ciat? Conformiter propoſito noſtro exponit D.
3 p Paſt. Greg. Dei vocem ex ore Vatis Iſaiæ: *Erubeſce Si-*
Admonit. *don ait mare. Quaſi per vocem maris* (ait) *ad vere-*
19. *cundiam Sidon adducitur, quando per comparatio-*
Iſaiæ.23.4 *nem vitæ ſæcularium, atque in hoc mundo fluctuan-*
*tium, eius, qui munitus, & quaſi ſtabilis cernitur,*
*vita reprobatur.* Pariter expendit D. Chryſoſt. id
quod Spiritus S. narrat de Eliſeo. Hic enim mo-
ratus inter Iſraelitas, à nemine cognoſcebatur,
honorabatur à nemine, & qui eum cæteris mi-
nus venerabatur, erat Rex ipſe. In Syria verò, eum
declamat pediſſequa captiua, eum barbarus Gen-
tilis veneratur. Fuſam hanc hiſtoriam, fusè nar-
4. Reg. 5. rat Spiritus S. Interloquitur D. Chryſoſt. *O fides*
D. Chr. *Naaman Principis: ô iſtius Regis perfidia? Naaman*
Serm. de *Syrus fideliter feſtinat ad Deum, & Rex perfidus*
Naaman *ſuum ſcidit veſtimentum; diffidunt qui nouerant,*
& Elia. *& qui non nouerant, credunt. Domeſtici repu-*
Tom. 1. *gnant, & externi feſtinant. Alieni currunt ad au-*
*xilium, & proprij cæleſte denegant donũ, qui prædi-*
*care debuit, deſtruit, & qui deſtruere potuit, feſtinat.*

## §. 7. Populi dicebant. *Conuincit Deus ex ore populi Principes, vt iniquos iudices. Sit autem iudex, vt ſponſæ naſus.*

SEcundum: Intendit Spiritus S. hac reſpon- 19
ſione ex ore plebis: *Hic eſt Ieſus* &c. Acriùs
mordere Principes illos, Sacerdotes, Re-
ctoreſque ciuitatis Hieruſalem, eiſque obiicere
excerebroſam atq. proiectam iniquitatem, quam
iam pridem iniuſti commiſerant. Paucis ante
præteritis diebus in generali plenoque concilio
in Chriſti conſpirauerant perditionem, mor-
tique eum aduouerant turpiſſimæ. Modò ve-
rò, dum Hieruſalem ingreditur & populi adhuc
auribus inſonat præconium, quô præceperant, vt
ſi quis de eo quidquam nouiſſet, confeſtim in-
dicaret; interrogant. *Quis eſt hic?* Quid prodi-
tores? ab hinc biduo illum morti communi ſuf-
fragio damnaſtis, & eum ignoratis? Quis ſit non
cognoſcitis? Sit felix fauſtumque iudicium ve-
ſtrum, ſi, tunc illum non agnouiſtis, modò agno-
ſcite. *Hic eſt Ieſus.* Subtiliter exponit Chriſtus
malitiam quam contra eum exercuerant, morti
adiudicantes, illis verbis ex ore Vatis Regij. *Cir-* Pſ. 21. 13.
*cumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſe-* 1.
*runt me.* Alij legunt: *Tauri Baſan.* Baſan Regio Qui ſint
erat fertiliſſima, tauris fœcunda pugnacibus, qui tauri de
tauri de Baſan dicebantur, ſicut modo tauri de Baſan.
Xarama. Taurus animal eſt cholericum & vehe-
mentius bile commouetur: ira enim oritur ex
inflammatione ſanguinis circa cor; & ſicut inter
cætera animalia taurus ſanguine abundat, ita ma-
iori incenditur flamma: ac proinde videre licet,
dum vehementiùs igneſcit, cornua eius adeò flam-
mea, vt ignites titiones dixeris, eumq; quem ferit,
non minus accendit, ac ſi quiſpiam flammeſcen-
te lancea perfoderetur. Hôc eminenter gaude-
bant tauri de Baſan, eo quod eſſent pinguiores, ac
maiores. Nota verò, quàm eleganter hoc hiero-
glyphico deſcribat Principes, Sacerdotes, Docto-
res, tauros de Baſan pinguiores, quibus venæ e-
rant ſanguine repletæ; operibus, diuitiis, honori-
bus, cupiditate, his cornibus ſuis irruebant in
Chriſtum: omnis enim eorum ignita rabies ex
rerũ temporalium cupiditate exardeſcebat. *In ira-*
*cundia terræ loquentes dolos cogitabant.* Hinc bilis Pſ. 34. 20.
eorum, ex timore perdendi bona terrena, proin-
de, quaſi pauidi conſulunt: *Venient Romani, & tol-*
*lent locum noſtrũ, & gentem.* Hinc inierunt con- Ioan. 11.
tra Chriſtum conſilium, & vt tauri in eum im- 18.
pegerunt. Taurus dum cornu ferit, claudit ocu-

ſos, ex multa irâ, quâ obcœcatur, ſeu ſi mauis, vt ſecutiùs inuadat, nec quidquam videat, quod eius furorem remoretur. Ecce tauros mortis ſententia contra Chriſtum concurrentes, adeo cœcis oculis, & mente obtenebrata, vt latâ in eum ſententiâ, inquirant, *Quis eſt hic?* O iudices iniquos, optima veſtra interrogatio: *Quis eſt hic?* Conſediſtis in eum, eius litem cauſamq; terminaſtis, nigro calculo condemnaſtis, & quis ſit, ignoratis?

20 Sæpenumero perpendit D. Gregor. honoris laudiſque prærogatiuam, qua cœleſtis ſponſus ſponſæ ſuæ naſum extollit: *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Pulchritudinis eius celebrat encomium & quia totius pulchritudo, ex partium pendet, reſultatque venuſtate: ſingulas diuiſim extollit: capitis capillos, oculos, dentes, &c. & nominatim naſum deprædicat: *Naſus tuus ſicut turris Libani* Quærit D. Greg. *Quæ laus eſt fratres mei, vt ſponſæ naſus turri comparetur?* Anne hæc naſi laus? ſi dixero ego: Domina talis, pulcherrima eſt, eius naſus eſt vt turris huius eccleſiæ, hoc non foret laudare vultus eius elegantiam, ſed riſui exponere turpitudinem non tolerandam. Cœleſtis ſponſi, cœleſte præconium. Damaſcus ciuitas erat limitanea & inimica Hieruſalem, metropolis Syriæ, vnde excurrebant hoſtes in terram promiſſionis, & frequentes agebant prœdas, vt legenti patet. Huic malo ſtudens obuiare Salomon, extruxit turrim altiſſimam, in cacumine montis Libani, vbi terminus, præfigitur, qui diſſcindit, diuiditque Syriam à terra promiſſionis, præmunitam omnigeno belli apparatu, ex qua poſſent detegere Damaſco prodeuntes, eoque modo ſartam tectam, tutamque conſeruare terram Promiſſionis: vel præpediendo viam inimicis, vel fumo excitato vicinos admonendo, vt ſibi cuncti proſpicerent.

D. Greg. 3. p. Paſtoral. Admonit. 33 & hom. 11. in Ezech. & Lib. 31. mor. c. 31. & in c. 7. Cant.

4. Reg. 5.

II. Naſus prudentiam ſignificat.

Noueris igitur, (inquit D. Greg.) hanc eſſe mentem diuini ſponſi, deſcribere ſponſæ ſuæ Eccleſiæ venuſtatem, & per eiuſdem partes, diuerſos deſcribit ſtatus, ac officia, è quibus illa componitur elegantiſſima. Naſus ſymbolum eſt Principum, Iudicum, Gubernatorum. Primò etenim illi ſunt, in quibus oportet reſideat prudentia, diſcretio, hanc ſignat naſus. Hic enim procul odoratur, inquirit ex veſtigiis, id quod oculis non videtur, & latebat occultum. Talis ſit, neceſſe eſt, diſcretio, prudentiaque Principum, Iudicum, ac Reipublicæ Gubernatorum, procul odorentur, & damna præſentiant, quæ contingere poſſunt, vt illis maturè prouideant. Ex veſtigio luſuum domus explorent, proſtibula, vſuras, furta, concubinatus, eaque omnia, quæ Reipublicæ præiudicant incolumitati. Secundo: eo quod ex naſo particulariter aduertatur colera ac indignatio: *Quieſcite ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt*, Conſulit Iſai. Caueto ab homine, cui naſus igneſcit. Hoc enim accenſam eius demonſtrat coleram. Inter nos, quando indignatis, prouerbium eſt: inuaſit ſinapi nares tuas. In naribus attenditur colera ex reſpiratione: hæc eſt enim apertiſſimum ſignum ignis, quò interius pectus exardeſcit. Quibus ſtomachari, indignari, & iraſci conuenit in Republica; Principes ſunt, & iudices. Etenim illi ſunt, quibus ex officio competit, punire, reprimere, cædere, patibulis affigere, *Non ſine cauſa, gladium portat: &c. vt cæteri timorem habeant.* Homini priuato gladium eximere illicitum, vt & noxios caſtigare; hoc iudicem tangit, vt vero perfectè, & irreprehenſibiliter hoc agat, aſſerit Ariſtoteles, de neceſſitate requiri, vt iraſcatur, commoueatur, incandeſcat & omnibus pateat, eſſe in Republica viros, qui peccatis, ſceleribuſque ſuccenſeant correctores.

Iſa. 2.

Rom. 13. 4. & 1. Tim. 5. 20.

Naſus, aduerte, medius inter binos oculos erigitur, qui quaſi duæ faces accenſæ eum illuminant. Ita illos cognominat Chriſtus: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* Vt nouerit iudex, dum è iuſtitia conuenit damnare ſceleris reum, cœco non feriat impetu, ſed apertis oculis, & præuia perſpicaci conſideratione, perpendens quem, ob quid, damnet: quæ ſint rei grauamina, quæ defenſiones, ne fortè damnanda contingat illa imprudentia, vt damnatum modo reum, ipſe iudex non agnoſcat, ac percunctetur: *Quis eſt hic?* Quocirca pereleganter Dominus delineauit iudicem, in virga illa vatis Hieremiæ: virga erat oculata: *Virgam vigilantem*: Argus ſit centioculus, vt videat luce clarius, quidquid illum concernit: quem habet iudicandum. Quàm bonus Rex & Princeps Dauid. *Exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum.* Fortitudo mea, vires meæ: (has enim in S. Scriptura cornu ſignificat) eleuabuntur, excitabuntur, ſicut cornu vnicornis. Salutiferum eſt cornu vnicornis, vbi vigent colubri, ſerpentes, animalia venenata, quæ aquas inficiunt: illo enim cornu aquis intincto, tollitur omne venenum, quod ſerpentes aquis infuderant, proinde ſine illo viuere ibidem eſt impoſſibile. Porro cornu hoc inter ambos erigitur oculos, quod non applicatur, niſi vbi prius fixis oculis intenderit. Talis, opto, ſit Principis potentia & iudicis auctoritas, quæ de Reipublicæ viuario venena diſſipet: Colubrorum multus eſt numerus, qui eam inficiunt, vſurarius

21

Luc. 11. 34.

Hiere. 1. 11.

Pſ. 91. 11.

III. Iudex per cornu vnicornis deſignatur.

ſuis

ſuis lucris, ſuis rapinis latro, ſuis diſſolutionibus concubinarius, litibus ſuis inquietus, comœdiis & actionibus ſuis hiſtrio, ſuis ſimulationibus tertiæ mediatrices: Exaltetur Principis auctoritas, iudicis ſeueritas ſicut vnicornis. *Exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum.* Fortiter impingat, feriat auctoritatiuè, venena diſpergat, hunc vinculis ſtringat, cædat illum, alterum ad malam damnet crucem, auriculas præſcindat alteri, actus iuſtitiæ ſeueros exerceat. Nequitiarum lites inſtituantur, per ſententiam terminentur; hoc tamen ſaluo, vt illud fiat, attentis oculis, & explicatis luminibus, vt vnuſquiſque intimè & integrè cognoſcatur, quis ſit, quid deliquerit: Quomodo, & quando, quid commeruerit, nec ad eam dilabatur inſipientiam, vt poſt latam ſententiam & atro calculo damnatum reum, cum Phariſæis interroget: *Quis eſt hic?* O fœdifragi: hoc ante quærereris, forſitan inueniretis, quis vobis tunc reſponderet id, quod modò populus reſpondet: *Hic eſt Ieſus &c.* quô tibi peruerſus ac iniquus contra illum proceſſus panderetur.

## §. 8. Hic eſt Ieſus, *Præmonet Principes ore populi Dominus, quod ſi Chriſtum perderent, & vitam ſuam perderent.*

22 TErtiò intendit Spiritus S. hac reſponſione ex ore populi: *Hic eſt Ieſus* Perditis his Iudæis motiuum dare conuerſionis ſuæ, & ſalutis reſtauratiuum: licet omni ſpe vitæ priuati videantur, & illis, ſicut naufragantibus ſubmergendis anchorale ſeu rudentem adiicere, quo confiſi non ſubmergantur. Erant hi, vt diximus paſſionibus ſuis immerſi, malitiâ obcœcati, perturbati, commoti: *Commota eſt vniuerſa ciuitas*, interrogantes: *Quis eſt hic?* Hinc feneſtram aperit Spiritus S. per quod illis lux fulgeat illa reſponſione, quam populo ſuggeſſit exprimendam: *Hic eſt Ieſus à Nazareth.* q. d. O malè fortunati, quæ vos obcœcauit iniquitas; ne hunc agnoſceretis hominem; ac per hoc adeò deperditi: illum agnoſcite, ſcito: *Hic eſt Ieſus Propheta*, id eſt Redemptor veſter, Magiſter veſter, veſter Meſſias: hic vos ſaluaturus aduenit, hic à Deo promiſſus Propheta, vos docturus inſipientes. Venit Rebecca camelo vecta, in ſponſi ſui Iſaac amplexus ruitura, venit reſidens vt domina pulcherrima, plena gratiarum, quaſi reliqua præ ſe deſpiciens. Aduertit à longe venientem quendam, qui abiectus ei videbatur: quærit ab Eliezer, qui eam comitabatur: *Quis eſt ille homo, qui venit per agrum in occurſum nobis.* O Domina, ſcias, *Hic eſt Dominus meus.* Legitimus & ex aſſe familiæ Abrahæ heres inſtitutus, ille tibi ſponſus exſpectatus, recipiendus, hic tuum omne bonum. Hoc reſponſo, contemptus vertitur in honorem, deſcendit de camelo, faciem velat, ceremoniâ valde communi mulieribus priſcis illis temporibus, qua proteſtabantur quòd in præſentia mariti, ipſæ caput non eſſent, nec haberentur, & hoc ipſum declarat D. Paulus: *Vir caput eſt mulieris*, ipſe eſt, ipſe qui debet regere, gubernare, diſponere, & fungi capitis officio in domo, nec aliud in ea caput agnoſcendum, ne præter rationem, quid contingat. Laude dignam cenſeo ob hoc Rebeccam; & intendit Spiritus S. excitare Synagogam, vt hoc idem faciat. Exſpectabat illa ardentius Meſſiam vt ſponſum ſuum, hoc enim nomine communiter appellabatur, & ita D. Ioannes expreſſit; vt cum oſtenderet, quòd ipſe Meſſias non eſſet, ſed Chriſtus, ait: quòd ipſe ſponſus non ſit, ſed Chriſtus, quòd ipſe amicus tantummodo eſſet veri illius ſponſi, qui & in nuptiis eius exultaret lætabundus. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt; amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet. &c.* Talis enim incedit Synagoga, camelo inſidens gibboſo ambitionis ſuæ ac malitiæ, omnia paruipendens, ac dedignans, quin & ipſum Chriſtum; nec aduertens, nec attendens, quis eſſet. Ad eius in vrbem ingreſſum, ſciſcitatur: *Quis eſt hic?* Reſpondet populus: *Hic eſt Ieſus Propheta. &c.* q. d. Cognoſcito illum, ô Synagoga, nec aſperneris: hic enim noſter eſt Dominus, Saluator noſter, Meſſias promiſſus, heres legitimus domus ac regnorum Dauid patris ſui, & tuus tot ſæculis ſponſus deſideratus. O repudio dignam Synagogam, cur tuæ malitiæ fræna non retrahis, cur peruerſam non emendas intentionem? cur rubore non confunderis, ex eo quod eum morti tradere præſumpſiſti? Suſcipe illum reuerenter talem, qualis eſt. *Hic eſt Ieſus.*

23 Verum tamen aliud latet profundius arcanum: quia quò illos vt in ſe reuertantur, moneat: exponit illis Spiritus S. attendant ſtudioſius, quid egerint, quando Chriſtum damnarunt innocentem. *Hic eſt Ieſus.* q. d. Malè fauſti Principes, ſacrilegi Sacerdotes Doctores cœci, moderatores immoderati; noſtiſne? quis iſte, quem condemnaſtis, & perdere concluſiſtis? *Hic eſt Ieſus Propheta.* Quid eſt Ieſus? ipſe explicet ſeipſum. *Ego ſum via, veritas & vita* Via eſt: illum occidite, & à recta ſalutis via aberrabitis; ve-

Marginalia: I. Allegoria. — Gen. 24. 65. — Epeſ. 5. — Ioan. 3. 29. — Ioan. 14. 6.

ritas eſt; interficite illum: mendaciis, ac erroribus opplebimini: vita eſt; perdite illum, & vita veſtia finietur, exanimes æternæ mortis trademini ſepulturæ. Monet illos: Attendite, damnandi, ad id quod agitis. quòd ſi hunc occideritis, actum eſt de vita veſtra, ſalute, veritate, & omni bono: & ipſum perdere, nihil aliud eſt, quam à vobis & vrbe veſtra expellere bona omnia, & laxiſſimas portas aperire, cædibus, captiuitatibus, incarcerationibus, perditionibus, infortuniis, omnibus denique malis. q. d. Vobis proſpicite, licet enim arbitremini, veſtrum à vobis occidi inimicum, & illo euadere ſuperiores ac victorioſos, tamen illum interimentes, nihil aliud eius homicidio lucramini, quàm damnum veſtrum ac perditionem, vnde & dicere ac conque-

*Hom. 20. in Gen.* *Gen. 4. 23.*

ri poteritis cum infauſto Lamech: (ſic interprete D. Chryſoſt.) *Occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum.* Interfeci virum mihi in damnum; itá vt, illum à me occidi, fuerit, mihi meipſum perdere infelicem. Illi ictum impegi, at ego vulnus recepi, & dolui reus

*Gen. 32.* *Oze. 12. 11*

homicidii. Arcanis ſcatet præclaris lucta Iacob, cuius hiſtoriam narrat Spiritus S. Quam expendit Oſeas. Luctatus eſt nocte tota, ſiue fuerit cum ipſa perſona filij Dei, vt vult Concilium Smyrnienſe ſiue cum Angelo, qui eum ſpecialiter figurabat, quòd tanto magis noſtræ congruit

II. Allegoria.

intentioni. Nocte illam luctam Iacob aggreditur, & tali contra eum pugnat fortitudine, vt iam videatur illum ſiue in hanc, ſiue in alteram partem ſolo proſternere ſuperatum. Multo ſtetit Angelus tempore inuictus, nec gradu titubat, vt Iacobi viribus huc illucque inflectatur, donec tandem arenæ cedat voluntarius *Inualuit ad*

*Oze c. 12. 4.* *Lib. de quæſt. ſeu tradit. Hebra. in Gen. 32.* *Oze. c. 12. 4.*

*Angelum.* Idcirco dicit D. Hieron. Angelum Iacobo impoſuiſſe nomen *Iſrael*, quod eſt, *Videns Deum* ſiue *Vincens Deus*: Vt conſtat ex ratione, quam allegauit, dum ei nomen imponeret. *Contra Deum fortis fuiſti, multo magis contra homines præualebis.* Videns autem Iacob ſe Angelo præualuiſſe, ait Vates, quod *Confortatus eſt* q. d. ſupererat glorioſus & exultans: ſicut quando duo multo tempore colluctantur, & vnus alium ſolo proſternit, ille qui ſuperauit: exultat

*(a) Haze piernas de nuevo.*

triumphanis; (a) pedibis geſtit, nouos ſumit animos, ſubſilit præ gaudio quaſi fortitudinis viriumque ſuarum oſtentans præſtantiam. Dices: Quæ tunc voluptas, quæ exultatio Iacob? falleris: quinimo ipsâ horâ cœpit ingemiſcere, lachrimas fundere, Angeli pedibus ſe cernuum abiicere, ſupplicare. *Fleuit & rogauit.* Quid hoc? Angelum ſuperaſti & ingemiſcis, ploras, ſupplicas? Nihil eſt quòd ſic animos gaudio perfundat, quàm celeberrima victoria. *Exultant victores capta præda.* *Iſai. 9. 3.* Quid igitur ploras? quid victo ſupplicas? inuerſus eſt ordo: non enim victor deuictum rogat, ſed proſtratus ſupplices tendit victori manus. Sublime myſterium. Conſiderat Iacob in ſua perſona totum populum Iudæorum, filium ſuum, qui luctaturus eſſet cum Verbo æterno, ſuæ nocte paſſionis. O qualem luctam, quàm arduam, iſte Iacob inſtituit cum Verbo æterno? quibus non contra eum vſus viribus, iam illum in illam, nunc in partem alteram deflectens. Nunc ad illum trahit iudicem modo ad alium. Adducit coram Pilato, credit, quòd ex illa parte eum non deiiciat, ad Herodem recurrit, & quia nec ibi corruit demum in domum Pilati trahitur conuincendus. Optimè dicitur hanc luctam contigiſſe de nocte. O quales tenebræ, ô quanta interceſſit caligo. Non eam præteriit aut tacuit Diuinus ille hiſtoriographus Diuus Ioannes de quo nobis textum enarrans, ſic inchoat. *Egreſſus eſt Ieſus trans torrentem Cedron.* *Ioan. 18. 1.* Cur cedrorum torrentem vocas, cum in illo nulla floreret cedrus? quia Cedrus Græcè, Latine dicitur *Obſcuritas*: Erat autem torrens ille obſcures, caliginoſus, ad oſtendum id quod tunc agebatur eſſe pluſquam Ægyptiacis tenebris inuolutum. Caligo in decreto illo cœleſti, quô Deus proponit tradere filium ſuum in mortem, pro ſalute capitalium ſuorum inimicorum *Myſterium abſconditum à ſæculis in Deo.* Vocat illud Diuus Paulus. *Coloſ. 1. 26.* Nox in Apoſtolis, quâ tanta effunditur Petrus, vt primum de ea moneatur: *Quod ego facio, tu neſcis modo*: & *Ioan. 13. 7.* demum, trina negatione: oculos ſuos miſerè offendat, ſicut qui noctibus obambulat, fugiunt cæteri: *Omnes relicto eo fugerunt* Qui enim à luce fugit: tenebris immergitur. *Matth. 26. 56.* Nox in pectore Iudæ, quam vt oſtenderet Diuus Ioannes, quanta eſſet tum temporis: ait: *Erat autem nox.* *Cap. 13. 31.*

Nox erat in iudicibus, quibuſdam malitia obcœcatis, aliis timore Cæſaris obtenebratis. Dic tu ô ſol: *Obſcuratus eſt ſol.* *Luc. 23.* tota nocte lucta perſeuerauit, & iam videtur in illam inclinare partem, quod iam eum condemnent, iam in alteram, vbi inſtabant vocibus magnis poſtulantes: *Crucifige crucifige.* Tandem vicit Iacob: *Inualuit ad Angelum.* Notate verbum *Inualuit.* & ſignate S. S. Scripturarum conuenientiam. Eô ipſo verbo, quò prædixit hoc myſterium Ozeas, impletum ſignat Diuus Lucas, dum ait *Inualeſcebant voces eorum.* *Luc. 23. 23.* Ex Euangelio declara impletam Prophetiam: *Inualuit ad Angelum* quia

*Inua-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Inualeſcebant voces eorum & adiudicauit Pilatus fieri petitionem eorum.* Vide an non præualuerint, & vicerint: cum eum tandem crucifixerint. Exultare & præ gaudio geſtire videtur Iacob, iam victoria potitus. *Roboratus eſt, & confortatus eſt.* Quanta hilaritate perfuſi infelices illi, quaſi ſuis Chriſtum viribus ſuperaſſent, & ille non fuiſſet, qui amoris viribus ſe permiſit vinci, & morti ſe ſua ſponte dedit? Quàm glorioſi & cateruatim concurrunt ad Pilatum, quaſi victoriæ ſuæ proſequentes trophæa: Matt. 27. 63. *Domine recordati ſumus, quòd ſeductor ille dixit adhuc viuens; poſt tres dies reſurgam, &c.* O maximè Iacob, an exultas ob obtentam hanc à filiis tuis victoriam? Nequaquam, quin potiùs ipsâ hora plorare incipit, gemere, plangere illos: q. d. O malo cœlo nati filij! ó generatio maledicenda! ô populE reprobande! ô ciuitas deſolanda! vincens eum & occidens, quem occidiſti, vitam ipſam interemiſti, & quid tibi his ſupereſt niſi mors? ſummi Sacerdotis ſanguinem fudiſti, propugnatoris tui: quid vos modo remanet, niſi omnis auxilij iuſta ſubtractio. Occidiſti eum qui tibi erat omne bonum: quid modo timendum, niſi omne malum? Relinquendi eſtis omni priuati vita, ſalute, templo, ſacerdotio, ſacrificio, Rege, Propheta. O plebs infauſta: te deploro, te plango; licet enim tibi attribuas victoriam, & perſuadeas te eum occidendo, ſuperaſſe: illi tamen parum nocuiſti, cum breui ſit in vitam immortalem reſuſcitandus: maximum vero nocumentum, eſt illud, quod te manet victorem; vitam enim, ſalutem, & veritatem occidens, *Hic eſt Ieſus* infernalibus mortis tenebris deſereris obruenda. Quocirca Iacob ſupplicat, & exorat pro illis Dominum: *Fleuit & rogauit* Parce Domine, parce populo tuo; Deus miſereatur noſtri.

24 Elegantiſſimè cecinit hoc vatum primarius Dauid: contemplatur Iudæos in concilio congregatos, qua ratione concludunt Chriſtum perdere proditionibus, fraudibus, ſuis manibus, & Paganorum viribus. *Conſiderat peccator iuſtum, & quærit mortificare eum: Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum, &c.* Pſ. 36. 15. *Gladius eorum intret in corda ipſorum.* Quantis animis, quo pectore, iuſtum occidere intenderunt? *Obſeruabit peccator iuſtum.* Hoc nomen Hier. 23. 6. Iſa. 51. 5. Chriſto competit. *Hoc eſt nomen quod vocabunt eum: Dominus Iuſtus noſter; prope eſt Iuſtus meus.* Sic teſtatur Pater æternus. Quot technas, quot decipulas ſtruxit ei maledicta peccatorum Synagoga? quas perſecutiones in eum excitarunt? *Gladium euaginauerunt, intenderunt arcum.* Omnia arma eorum in eos reſiliunt, & ea quæ de propinquo feriunt, vt gladius, & quæ de longinquo, vt arcus. O generatio praua: quid cogitatis, quid his efficitis? *Gladius eorum intret in corda ipſorum.* Propheticum eſt hoc (inquit D. Auguſt.) & idem eſt D. Avg. In Pſ. 36. *Intret*, ac *intrabit*. Conformiter regulæ Diui Anacleti Papæ. Con. 2. Tom. 8. *Prophetæ cum optare videntur, futura vaticinantur.* D. Ana. Papa & Martyr. Ep. de ordinatione Epiſc. T. 1. Conſil. Contra iuſtum gladium nequitiæ ſuæ euaginauerunt, & eo contra illum decertarunt: arbitrati ſunt, quòd eo Chriſtum confodiſſent, ſed heu miſeri: gladius hic eos inuaſit, & hoc agebant, ſibi proprias animas pectoraque transfodiebant, ſibi vitam auferebant, & ſalutem infelices homicidæ. Propterea, non poſtulat Dauid, gladius eorum intret in corpora eorum, ſed *Intret in corda eorum.* Ille etenim, quem crucifigunt, ſalus eſt, vita eſt, lux eſt, gaudium eſt, conſolatio eſt, requies eſt, gloria eſt: quia *Hic eſt Ieſus.* Sic res ſe habuit: quaſi quis gladium in alterum ſtringeret, eiuſque tantummodo veſtem diffinderet, ſibi vero transfoderet viſcera. *Tanquam vellet aliquis per corpus ſuum ferrum traiicere, vt concideret tunicam alterius.* Reprobande fœnerator: tibi congratularis, quando pro libitu negotia tua peregiſti: hunc decipiens, illum expolians, & in fine anni, computus tuos facis, vt illi quos vidit Zacharias Propheta, dicentes: *Benedictus Deus, diuites facti ſumus.* Zach. 11. 5. Plora, ingemiſce, grauiùs tibi, quàm proximo nocuiſti: quòd ſi alterum bonis nudaſti temporalibus, tu æternis nudus exponeris, ſi alterum in corpore perdidiſti, væ animæ tuæ, periiſti. Quàm hilaris tripudias, vltor iniuriæ implacabilis: cum tui calumniatorem confodiſti. Ingemiſce miſeram ſortem tuam: tibi, tibi nocuiſti: etenim, ſi alter in corpore vulnus ſuſcepit, tibi anima tua confoſſa ſuccubuit æternum peritura. Tu libidinoſe, tibi applaudis, quòd carnis tuæ deſiderio ſatisfeceris, illius miſeræ deſpolians integritatem. Ingemiſce in contritione lumborum tuorum. Si tibi de ſatiato inordinato appetitu & Venerea voluptate applaudis, quid egiſti? ecce redis ſine Deo ſine gratia, ſine donis Spiritus S. & miſeram animam tuam denudaſti. Vt talem te plangit ipſe Deus, acclamat tibi, te puerum, infantem, ſtultumque inſimulans, qui dum credis te ſalutem, vitamque conſecutum: tuiipſius cooperaris perditioni: *Vſquequo Paruuli diligitis infantiam & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia cupiunt.* Conuenit Elias Regem Achab, inuenit eum præ gaudio ſubſilien-

tem : eo quòd lapidato iuſto Naboth, iam poſ-
ſeſſionem vineæ acceperat cuius deperibat cupi-
ditate. O proditor , venditus es vt faceres ma-
lum : Audi Prophetam : *Occidiſti inſuper &*
*poſſediſti ?* Innoxium occidiſti virum ? illius vi-
neam iniuſtus abſtuliſti ? An hoc tibi perpla-
cet, illum occiſum , & te ſpoliis eius diuitem ?
Væ tibi miſero , eſt , quòd lachrymas fundas
vberrimas : plus tibi , quàm iuſto illi nocuiſti :
in eo enim , quod ſanguis innocens fuerit effu-
ſus, via ſternitur, quâ regius tuus ſanguis effun-
datur, tam ignominiosè , vt eo canes inebrien-
tur, tua pereat familia, honor vilipendatur, vita
enecetur, corpus computreſcat, & anima gehen-
næ incendio tradatur crucianda.

## §. 9. Propheta. *In memoriam reuocat Deus his Principibus , ex ore plebis ; id quod de Chriſto per Moyſen prædixerat.*

☞ 25 PRopheta à Nazareth Galilææ. Non tantum
dicunt : *Hic eſt Ieſus* : inſuper addunt :
*Propheta* : nomen abſolutè ſumptum non
ſignificat Prophetam talem , qualem , ſed ma-
gnum Prophetam deſideratum Gentibus, Meſ-
ſiam. Ex diuina hoc proceſſit ſapientia , quòd
Spiritus S. nomen hoc Propheta plebis ori in-
geſſerit, vt per illud efficaciter retraheret Syna-
gogæ Principes de hoc diabolico incœpto faci-
nore Chriſtum occidendi , in quem iam mortis
fulminauerant ſententiam ; quia ex illo Pro-
phetæ nomine declarabat, irreparabile damnum,
quod illos obrueret : & id quod omnino ſibi
perſuaderent , quòd videlicet occidentes Chri-
ſtum, licet ſolum & ab omnibus derelictum ,ab
omni ſupplicio immunes euaderent, & impuniti
contraria veritate ; etenim erat ille ipſe Deus,
qui tantum ſacrilegium nefariumque homici-
dium vlciſceretur , & qui in ſui ſumeret arma
defenſionem , illatamque iniuriam ſuo tempore
vindicaret. Quocirca illis verbis. *Hic eſt Ieſus*
*Propheta à Nazareth* : illi promiſſioni Diuinæ
iam factæ à principio populus alludit : Quando
deſcendit Deus in caligine ſuper montem Sinai :
adeo terribilis fuit hic aduentus eius, detonan-
tibus vndique tonitruis , micantibus fulgetris,
obnubilante montem fumo caliginoſo , vt om-
nes conterrerentur : nec id mirum : cum & ipſe
Hebr. 12. 20. Moyſes inhorruerit : teſte D. Paul. *Exterritus*
*& tremebundus.* Vnde tanto timore concutie-
bantur , vt omnes vnanimes ſupplicarent : non
loquatur nobis Dominus, ne Diuinæ terrore vo-
cis turbati caderent exanimes, ſed ſi quid eis vel-
let indicare , Moyſe mediatore vteretur. *Vltra* Exod. 20.
*non audiam vocem Domini Dei mei , & ignem* 19.
*hunc maximum amplius non videbo , ne moriar.* Deut. 18.
*Loquere tu pro nobis, non loquatur nobis Dominus,* 16.
*ne forte moriamur* Hanc eorum Moyſes Domi-
no proponit orationem, cui ille : Placet mihi :
*Bene omnia ſunt locuti* : Populus eſt infirmus , Deut. 18.
puſillanimis , iure formidat : Hoc ego quoque 17.
intendi, vt me timeat : ſpiritus enim legis, quam
illi præſcribo, ſpiritus eſt timoris, ſicut eius ſta-
tus, ſtatus eſt & conditio ſeruorum, quos timo-
re regi conuenit.

Attamen eluceſcet dies, quâ illis legem amo-
ris promulgabo, filiis propriam, & illam ipſis per
Prophetam indicabo, quem ego ſuſcitabo, & ex
eis eligam, eiuſdem naturæ, familiæ , & ſtem-
matis ; hominem, ſimilem tui, in cuius ore po-
nam verba mea , & proinde quæ loquetur mea
erunt , ne dubites. Admone illos , vt quando I.
miſſus à me, venerit ille Propheta , audiant il- Chriſtus
lum, venerabundi ſuſcipiant, docenti obediant : antono-
quando quid contra illum moliti fuerunt , non maſticè,
contra illum , ſed contra me ſciant ſe indigna erat Pro-
moliri : & in me ſuſcipiam illos pro allato ſce- pheta.
lere atrociùs plectere homicidas : viderunt enim
quàm ſim terribilis , & quàm pauenda brachij
mei fortitudo. *Prophetam de gente tua , & de* Deut. 18.
*fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus*
*Deus tuus, & ipſum audies : &c. qui autem ver-*
*ba eius, quæ loquetur in nomine meo audire nolue-*
*rit, ego vltor, exiſtam.*

Loquitur Deus ad litteram, promittens eis fi- 26 ☜
lium ſuum venturum in mundum , vt ſuam di-
uinam Sanctamque eis legem promulgaret: hinc
eis orta ſpes eaque certiſſima , quâ Prophetam
ſibi à Deo promiſſum præſtolabantur , ſub quo
nomine Meſſiam intelligebant. Hinc quando de
Meſſiæ aduentu loquebantur , de illo agebant
ſub nomine Prophetæ. Quando Principes &
Phariſæi miſerunt ad Ioannem vt interrogarent
eum, num Meſſias eſſet, ab eo quæſierunt : *Pro-* Ioan. 1.
*pheta es tu?* Omnes denique, qui Chriſtum vt
verum Meſſiam confitebantur , illum nomine
Prophetæ prædicabant. Contigit , dum Domi-
nus ad vitam filium viduæ vnicum reſuſcitauit:
viſo tanto miraculo, ſtupente populo, elata voce Luc. 7. 16.
conclamarunt : *Propheta magnus ſurrexit in no-*
*bis : & quia viſitauit Deus plebem ſuam.* Dili-
genter attende verbum illud *Surrexit.* Conuenit
enim promiſſioni Diuinæ : *Prophetam ſuſcitabo.*
Illud quoque : *In nobis* : occinit illi : *De medio*
*fratrum tuorum.* Quando quinque panes fregit

in

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in quinque millia hominum, teſtatur D. Ioannes quòd cum populus vt Meſſiam; receperit:
Ioan. 6. 14. *Hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.* His alludit modo Spiritus S. ex ore populi Iudæis acclamans: *Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth* q. d. Quæritis, Principes, quis ille ſit? *Quis eſt hic?* Reueremini illum: *Hic eſt Ieſus Propheta &c.* promiſſus à Deo, ſuſcitatus de medio fratrum noſtrorum, de gente, noſtraque progenie.

Hoc conſiderate, & illum agnoſcite, & ſcitote id quod inde ſequetur; licet enim cum ſolum videatis, nec ſit qui eum defendat, nec latus cingat, nec eius ſuſcipiat cauſam, & cum interimere, nihil præterea ſit, quàm occidere eum, cui nec ſit amicus fidelis, nec defenſor auxiliaris;
Ioan. 11. 50. proinde veſtra fuerit hæc vltima concluſio. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo.* Non eſt vobis tamen cum illo negotium, ſed cum Deo ipſo: qui minatur. *Ego vltor exiſtam,* & verum credite, id quod vobis altero dixerat
Ioan. 8. 49. die: *Vos inhonoraſtis me &c. eſt qui quærat & iudicet.* Attende generatio mala & adultera, id quod agis, Deum enim tibi ſuſcitas inimicum, & illum affligens, Deum ipſum contra te prouocas aduerſarium: iam dudum noſtis brachij eius fortitudinem, & manuum ipſius grauitatem, quando plenam totamque applicat ferituus, & id quod vobis præcauit per Iſaiam Pro-
Iſa. 30. 13. pheram. *Erit vobis iniquitas hæc, ſicut interruptio cadens & requiſita in muro excelſo &c. & comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli contritione perualida & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea!*

Quibus verbis intendit vobis declarare, quod ad tales coarctabimini miſerias & calamitates, in tantæ malitiæ iuſtum ſupplicium, vt ita vos radicitus euellat, vt vobis nec ſuperſit Sacerdotium, nec templum, nec ſacrificium, nec altare, nec Rex, nec Propheta, nec honor, nec vita, nec Deus, nec bonum quidquam: & quòd vos ita minutim conteret, vt redacti in cineres, vento per mundum vniuerſum diſpergamini vagi & profugi, populorum omnium execrabile peripſema.

§. 10. *Hoc egit Deus Principibus per os populi, id quod egerat per os aſinæ cum Balaam.*

HOc egit Spiritus S. cum illis, quod olim 27
cum Balaam ariolo: qui cum allectus auri cupiditate, populo Dei maledicere propoſuiſſet: & iam animi conſilium auidiùs proſequeretur: voluit illum Deus præuenire, & ab hac iniqua cogitatione cohibere, quando iam feſtino gradu tendebat aſinamque, qua vehebatur, atrociùs verberibus impellebat; proinde aperit Deus aſinæ oculos, vt videat, id quod ariolus ille præ malitia non cernebat: Angelum ſcilicet, qui ſtricto gladio ſtabat ex oppoſito, in eum collimans, quem ſi vlterius progrederetur, in viſcera ipſi adigeret, ſimiliter & aſinæ ora laxat. quæ conuerſa præſtigiatorem alloquitur: quid agis infelix? Noſtin' quid animo verſes? Aperi oculos, & intuere in quem agas. Attende
I. Aſina docet Balaã, ſic & populus Principes Iudæorum.
Balaam, & conſidera, Dei Angelum fortiſſimum, pugione in viſcera tua directo armatum. Perpende cum illo tibi eſſe negotium: ille quippe eſt, qui populi Dei procurat incolumitatem, in quem tendis temerarius. Reuertere denuo: hoc enim conſilium, ad cuius tendis executionem, non ei, quem cogitas, nocebit, ſed tibi: Angelus enim adſtat, qui ſecet te medium. Eleganter expendit D. Petrus hoc factum: *Correptionem habuit ſuæ veſaniæ ſubiugale animal mu-*
2. Pet. 2. 16.
*tum, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ inſipientiam.* Arcanis ſcatent verba ſingula, conſideratione dignis. Intuere: Quis quo ſapientior, quis quem corrigit, quis quo acutiùs videat? ſubiugale mutum animal (ait D. Chryſoſt.) quod
D. Chry. Hom. 13. in varios loc. Mat. Tom. 8.
(*eſt irrationabilius omnibus animantibus, magis multum, infirmum & ignobile.*) Ecce aſina, populus eſt, qui ſubiugale dirigebant, hi Principes erant, & Sacerdotes: & ipſi cœci, & aſina claris videns oculis. Illi percunctantur: *Quis eſt hic?* illa reſpondet: *Hic eſt Ieſus Propheta &c.* Qui[d] profuit ſibi percuſſus Balaam, dum verberibus impetit aſinam & verbis. *Quis eſt hic?* Quod, vt diximus, nihil aliud fuit, quàm plebem reprehendere, & accuſare criminis: quòd tali exciperet honore viliſſimum hominem, qualem Chriſtum eſſe calumniabantur ſed linguam ſumpſit Deus aſinæ, vt doceat, vt corrigat.

*Hic eſt Ieſus Propheta &c.* Infortunati, noſtis, quid agatis? Aperite oculos, attendite contra quem moueamini. Cernite, quòd ſit ille Prophe-

ta,

ta, cuius ſibi Deus ſumit vlciſcendam iniuriam: hic ſe veſtra ſentit proditione grauatum, ipſe eam vindicabit ſeueriùs. Huius illos Spiritus ſanctus præmonere: quinimo & te huius præmonet, vt attendas, miſer, quid agas, quando paſſionibus tuis obediens, tibi perſuades, ſe tibi poſſe opponere neminem, quòd tibi cum Deo ſit negotium, & ipſe ſit, qui tuarum erit vindex impudentiarum. Credis te impunem poſſe pauperculos proſequi, quos ſolos cernis, ac in eos manum mittere pro libidine tua, eorumque bona deprædari? Hoc noueris, Deum eſſe,
Rom. 14. qui illos ſuæ fidei ſumpſit conſeruandos *Dominus illum aſſumpſit.* Ad eius dexteram collocantur, vt illos defendat, & te caſtiget perſecuto-
Pſal. 108. 31. rem: proinde dixit vates Regius: *Qui adſtitit à dextris pauperis.* Putaſne Bipedum impuriſſime, te liberum habere in domum talis acceſſum,
(a) Tan a su pan y cuchillo. & quæ ita tibi ſit ad manum, (a) Meretrix cellaris vt nemo ſit qui voluptatibus tuis contradicat? hoc igitur tibi perſuade. Deum cum Angelis ſuis tibi adſtare, & diſſolutionibus tuis grauiter offendi: in eum hæc patras, & ille eſt, qui à te ſtrictiſſimam exiget rationem, puniens ignibus, pœniſque ſempiternis. Ne erraueris, O diuitiarum gurges, pauperum aſpernator, qui dum eleemoſynis pauperes alere teneretis: eoſdem iniuriis laceſſis, illos aſpernaris, ſuccurrere dedignaris, ſed Deum aſpernaris: ille
Matt 25, 40. enim eſt, qui ait: *Quamdiu vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Tu vero ſanguiſuga fœnerator, qui in hoc tibi complaces, quòd pauperum ſanguinem exhauris, & neminem arbitraris viuere, qui exigat rationem, diem tibi dicat, pro illo, de iis, quæ deprædatus es. Ipſe Deus eſt qui ſe exhauſtum ſtomachatur & vt talis, cauſam hanc ſibi aſſumet ventilandam.

28 Attende, conſule, prouide tibi Diuinum
Eccli. 37. 20. plane conſilium Spiritus S. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum, conſilium ſtabile.* Vox hæc *Verbum verax*, ſignificat conceptum intellectus, quo iuſtè, ac veraciter homo in ſe concipit rem ſicuti eſt: quò ſubtiliter exponit D. Ioannes conceptum ſeu
Ioan. 1. Verbum Diuini intellectus, dum ait: *In principio erat Verbum.* Artifex, cui aliquod incumbit opus faciendum, primo eius ſibi format in intellectu conceptum. Quotieſcumque igitur (ait Deus) aliquid vis facere, forma prius eius conceptum, nihil agas inconſideratè. Hæc eſt peccatoris (vt aduertit D. Anſelm.) infelix inſipientia, qui prius pariat, quam concipiat, ita Dauid:
Pſal. 7. 14. *Ecce parturiit iniuſtitiam, & concepit dolorem.* Id quod primum iniuſtitiam, poſtmodum vocat dolorem, ob præclariſſimas rationes, quas modo non vacat explanare. Nota, monet Propheta: *Peperit, & concepit.* An non vates ſapientiſſimè rerum inuertis ordinem? prius enim natura eſt concipere, quàm parere. Nouit optimè quid dicat, & his verbis deſcribit, id quod agit peccator, quando peccatum aliquod vult committere, non priùs mente concipiens id quod agit, nec attendens prudentiùs Chariſſimè quando proponis aliquid facere: ante omnia, eius forma tibi conceptum, maturè conſidera, quale ſit illud opus, quod aggrederis, quòd ſit contra Deum, quòd ille ſit, quem offendis, quem tibi ſuſcitas inimicum, qui illud ſeuerus iudex caſtigabit; quòd infames illæ deliciæ, vile illud lucrum illud abiectum intereſſe, illa voluptas momentanea; ſit animæ tuæ perditio, vitæ tuæ mors & quidquid per illa omnia lucraris, ignes ſunt æterni, pœnæ numquam finiendæ: momentaneam illam eſſe voluptatem, cruciatus verò tamdiu duraturos quamdiu Deus, Deus erit; ſagax obſerua: quòd tam vili pretio, te Satanæ vendas vapulandum mancipium: & ſeruituti te tradas omnium tyrannorum crudeliſſimi.

*Verbum verax præcedat te*: Conſilium coge, priuſquam peccatum committas: *Ante omnem actum conſilium ſtabile.* Non ſit tale conſilium, quod ſolam præſentem conſideret voluptatem, & inordinatam paſſionem, quæ te modo propellit in facinus, ſed ſtabile & firmum; attentè appendas, quid ſit quod inde lucraris, quidque illud quod perdis, & quibus te periculis exponas, quæ vltima experiaris, quæ tibi ſit Deo reddenda ratio, quem adeo irritas intrepidos. Ne aſſimileris huic malefauſtorum ſynagogæ, qui velut aſino ſylueſtri acti, maloque æſtro perciti; tanto ſceleri conſenſerunt, vt Chriſtum Dominum occiderent, non attendentes, quem condemnarent; & nihilominus, aperuit illis Deus oculos per ora populi, ſuadendo, vt conſilia agerent ſaniora, ſibi conſulerent; attenderent quis eſſet ille, quem perdere geſtiebant, & quòd nefarium hoc conceptum, ſacrilegumque homicidium perpetrantes, ſibi ipſis maximum damnum acquirerent, & perditionem abſolutiſſimam nanciſcerentur. Eo illos modo tractat, quo fratricidam Cain, qui inuidiæ genio malè commotus in fraternam cædem toto furore rapiebatur, attamen, vt ei mentem ſaniorem adferat, & à tanta malitia retrahat meliorem, obuius occurrit, & volens ei oculos aperire, conſulit: ſecundum lectionem Septuaginta, (quàm ad rem noſtram

*Lib. 5. de ciuit. c. 7. Gen. 4. 7.*

noſtram expendit D. Auguſt.) *Peccaſti: Quieſce: ad te conuerſio eius.* Cain in te reuertere: In fraternam cædem properas? hanc concepiſti? Ne perficias, ſiſte, retrogradere, propoſitum muta ſanguineum, quieſce, & attende, quidquid fratri tuo intuleris; hoc in caput tuum redundabit: teipſum prius & peius occides, & ipſum Deum habebis aduerſarium qui fratris ſtabit aduocatus. *Ad te conuerſio eius.* Hoc ipſum Deus perfidis his Iudæis ex ore populi ſignificabat. Coniuraſtis in Chriſti mortem, infernali veſtra commoti inuidia, Caino nequiores? *Quieſcite:* Siſtite in via perditionis, genimina viperarum, gradum reprimite, ipſum enim iniuſtè perdentes, iuſtè perdetis & vitam veſtram, & ſalutem: *Hic enim eſt Ieſus Propheta*; Deum vobis huius innoxij ſanguinis laceſſitis vindicatorem: hic eſt enim Propheta, quem vobis promiſit Deus qui ei factas vlciſcetur calumnias. Hoc idem tibi intonat, peccator: *Peccaſti? Quieſce, ad te conuerſio eius.* Aduerte te iacturam facere vitæ ac ſalutis tuæ, quodque contra te ſtultus prouocas Deum, hoſtem, omnium potentiſſimum.

### § II. Intrauit in Templum *Recta tetendit Chriſtus ad templum, veniebat enim ſacrificandus, & docturus Epiſcopos, in quo errauit Theophylus Alexandrinus.*

*In cap. 21. Matth.*

29 INgreſſus Dominus ciuitatem pompa illa triumphali & comitatu illo permagnifico, rectâ tetendit ad templum, idque pluribus de cauſſis. Primam dat Angelicus Doctor D. Thomas vt oſtendat quòd ipſe agnus eſſet, qui ſe voluntariè in ſacrificium præſentabat offerendum & vt talis rectâ tendit ad templum, vtpote locum ſacrificiorum. Præceperat Deus, vt agnus, cuius immolatione feſtiuitas Paſchalis inchoabatur, immolaretur ad quartamdecimam Lunâ menſis Martij, attamen quinque ante diebus, ſcilicet Lunâ decimâ, introducerent illum floribus adornatum, ramis, canticis, & ſolemni iubilatione. Ecce hoc, modo perfectum in Chriſto prout dicemus Dominica Palmarum. Quinque diebus ante diem ſacrificiorum Hieruſalem ingreditur, vt vero pateat, quòd ipſe ſponte ſua veniat, recta tendit ad locum ſacrificiorum, figurarum eius ſacrificij, quod ipſe offerret. Secunda ratio eſt illa, quam ipſe Chriſtus indigitat, & declarat idem D. Thom. loco citat. quod voluerit ſe verum & legitimum Dei filium demonſtrare. Quò enim eundum eſt Principi primogenito, & heredi Regis, quando curiæ ſuæ intrat ciuitatem, niſi ad Palatium, & patris ſui domum? Hæc eius eſt propriiſſimum habitaculum. Dein eadem ratione voluit primùm Patrem ſuum æternum honorare; eius ſe conſpectibus ſiſtere, eius gloriæ conſignare, honorem quò eum eodem die populus fuerat veneratus: & cum iam paſſionis ſuæ ac mortis ageretur negotium; ad hoc primum voluit paterna benedictione præmuniri: vt diſceſſus ex hoc mundo, eiuſdem ingreſſui conueniret. Quando quippe in hunc mundum venit, natus in oppidulo Bethlehem prima domus, quam adiit, templum fuit, quo eum Mater duxit ſanctiſſima, quando eum æterno Patri ipſo Purificationis feſto præſentauit: quaſi dicat verba illa, quæ ex ore Dauid compoſuerat: *Dixi: Ecce venio, &c. vt faciam voluntatem tuam.* *Pſal. 39. 8.* Simul & aſſerens aduentum ſuum, perſonam ſuam & omnem vitam ſuam: ſicque propheticum illud Malachiæ implebatur: *Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum, dominator, quem vos quæritis.* *Malach. 3. 1.* Illuſtrans paternam illam domum, & Diuinâ ſuâ præſentiâ glorioſiorem reddens quàm illa vnquam fuerat, quam ædificauit Salomon, argento, auroque fulgidiſſimam, propheticum illud adimplens Aggæi, *Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, magis quàm primæ.* *Cap. 2. 10.* Modò verò, dum tranſit ex hoc mundo ad Patrem, pariter ſe eiuſdem offert conſpectibus, ſimulque ſuam, quam aggreſſurus erat mortem ſcilicet, & acerbiſſimos, quos paſſurus erat, cruciatus. Offert aduentum, & iter, ingreſſum & egreſſum: cum totum illud eſſet opus Patris, & in gloriam Patris & ex Patris obedientia. Ex hoc Chriſti opere, inualuit inter Sanctiſſimos Patres conſuetudo, quam ſuis conſtitutionibus confirmarunt. Vt notat Diuus Chryſoſtomus. *Epiſt. ad Innocent. Epiſc. Rom. Quæ incipit: Et iam antequam. Tom. 3.* Vt quilibet Epiſcopus intrans ciuitatem præ cæteris domibus, adiret Eccleſiam, & hoc tam inuiolabiliter obſeruabatur, vt eo ipſo, quo quis in hoc deficeret, vt Schiſmaticus haberetur & Deo iniurius: ſicut error foret intolerabilis, ſi Princeps ingrediens Curiam, vbi Rex Pater moraretur, aliique nobiles permulti, domum primum adiret priuati alicuius, & primùm Patris manus in obedientiæ & reuerentiæ ſignum non oſcularetur. Et eodem ex iudicio colligit idem D. Chryſoſtom. Theophylum Epiſcopum, non recipiendum vt Epiſcopum & Paſtorem, qui Conſtantinopolim aduenerat Concilium coacturus, ſed vt lupum reiiciendum, quia deſcendens de naui,

primùm Dei Eccleſiam non adierit, vt ſe Deo offerret, velut legitimus filius, diceretque: *Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam; Cum Conſtantinopolim ingreſſus eſſet* (ait Diuus Chryſoſtomus) *iuxta conſuetudinem & conſtitutionem hactenus obſeruatam, non intrauit in Eccleſiam ſed egreſſus à naui, prætermiſſis Eccleſiæ veſtibulis, alicubi verſatus eſt.* Quàm tibi felix fauſtumque foret, dum magni negotium momenti aggrederis, ſi priùs templum adires, cœleſtis Patris obtutui te ſiſteres, eius benedictionem poſtulares, vt dextero Deo illud exordieris; & eo peracto, ſimiliter de beneficiis acceptis gratias referres immortales: vno verbo, eius rogares benedictionem, & in vitam, & in mortem, exemplo Chriſti incitatus. Et quid de his loquemur, qui vix cœleſtis huius Patris nouerunt domum, nec eam adeunt, niſi velut coacti, proprij honoris ac æſtimationis (quæ in hoc conſideratur) tracti emolumento?

§. 12. Eiiciebat omnes &c. *In Republicæ ſalutem, purgatur templum: hoc enim eſt corporis huius ſtomachus.*

30 Ho 38. in imperfect.

TErtiam rationem habemus ex D. Chryſoſtomo nimirum, quòd Chriſtus venerit, vt expertiſſimus, ipſo atteſtante, medicus, quando ei exprobrabant quòd familiariùs peccatoribus vteretur. Quibuſcum conuerſari debet medicus, niſi cum infirmis? *Non eſt opus valentibus medicus.* (Matth. 9. 12.) Expertus medicus, qui infirmum ſuſcipit curandum, primum ſtudet purgando ſtomacho, qui quamdiu crudis indigeſtionibus opprimitur, corporis reliquum nequaquam poteſt ſalutem adipiſci, nec quidem viuum in vultu colorem, nec in brachiis robur, nec in pedibus fortitudinem, nec in capite, nec in oculis viuacitatem: *Medicus* (inquit Diuus Chryſoſtomus) *quando primò ingreditur ad infirmum, ſtatim de ſtomacho eius interrogat, & eum componere priùs feſtinat.* In hoc corpore myſtico, eſt Eccleſia ſeu templum, velut ſtomachus in corpore naturali, eſt autem ſtomachus communis officina vbi recipitur & coquitur portio pro cæteris partibus. Itaque Sacerdotes, ſunt hi qui recipiunt bona cœleſtia, vt illa populo diſtribuant liberales. *Suſcipiant montes pacem populo.* (Pſal. 71. 1.) Illi legem recipiunt, vt cibum, quem aliis communicent: *Legem ex ore eius requirent.* (Malach. 2. 7.) Illi diuina Sacramenta, aliis proponenda. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* (Matt. 28. 18.) Eorum manibus commiſit Deus remiſſionem peccatorum: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Illis traditur pinſendus vitæ cibus, & cæteris erogandus: *Cuius officium committi voluit ſolis presbyteris, quibus ſic congruit, vt ſumant & dent cæteris.*

1. Eccleſia eſt aceruus tritici.

Ob hoc comparat ſponſus cœleſtis, ſuæ cœleſtis ſponſæ ventrem, id eſt Eccleſiam, ſeu locum Sacerdotum aceruo tritici: *Venter tuus ſicut aceruus tritici.* (Cant. 7. 2.) Qui in totius Reipublicæ ſeruatur alimentum; Quando ſtomachus ille bene eſt euacuatus & diſpoſitus calore ordinato, ciboſque acceptos bene digerit: ô quàm ſana gaudet Reſpublica, quàm pulchra tota floret Eccleſia! *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*, pſallit Dauid (Pſ. 44. 14). Sumptâ metaphora ab alia ſponſa, pulchra vt ſol, colore viuido, rubeo, ſano, & forti quam vbi videris: infers. Optimo valet ſtomacho, magni caloris, bene moderati, vnde hæc illi procedunt. Quando viri Eccleſiaſtici tales ſunt, quales eos eſſe decet, qui optimè Dei legem obſeruent, ritè ſacramenta adminiſtrent, agant de oratione, de ſilentio, apud illos pauperes inueniant ſubſidium, conſolationem &c. Quando Confeſſarij ſunt viri docti, qui probè ſciunt examinare conſcientias, & in audiendis confeſſionibus ſedulam nauant operam, Quando Prædicatores, magis opere quàm ore concionantur. Quando Sacerdotes coram Deo adſtant ſummo reſpectu, & timore filiali in choro & adhuc ampliùs in altari: quam bene compoſita, ordinataque gaudet Reſpublica. *Videte ergo Sacerdotes* (admonet D. Chryſoſt.) *Quomodo vos componatis in verbo & opere: quoniam ſicut in corpore, ſi aliquod fuerit infirmatum membrum, non omnino languet & ſtomachus; Si autem ſtomachus languerit, omnia membra inueniuntur infirma. Sic ſi aliquis Chriſtianorum peccauerit non omnino peccant Sacerdotes: Si autem Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum. Ideo vnuſquiſque Chriſtianorum pro ſuo peccato reddet rationem; Sacerdotes autem, non ſolum pro ſuis, ſed pro omnium peccatis reddituri ſunt rationem.* (D. Chryſ. Ho. 38 in. Tom. 2.) Secundùm hanc rationem (ait D. Chryſoſt.) ab illis curatio totius populi eſt inchoanda.

Oſtendit olim Deus Ezechieli campum ſatum hominibus mortuis, occiſis, quibus nec vitæ 31 nec ſubſtantiæ reliquum ſupereſſet, oſſa erant arida. Quærit ab eo Deus: viuentne oſſa illa? Cui Ezechiel: O Domine, vnde hoc nouerim ego? illud video, quòd longiſſimè à vita diſtent. Valde bene, dicito tu illis, meo nomine, *Oſſa arida audite verbum Domini*, Loquitur Propheta ex

ore Dei, & in inſtanti videt omnia oſſa arida ſibi mutuo adhærere, vnumquodque loco ſuo com. poni Extempló caro viget viua, pulchra, fortis, & ita fieri debebat, vt compoſitis & ſuo loco diſpoſitis, oſſibus, caro viueret vegeta, ſana, eſſetque ſalutis integerrimæ. Oſſa huius corporis Epiſt. 120. & in Pſ. 34. L. 20 mor. c. 13. myſtici, ſunt Sacerdotes (aſſerunt D. Auguſtinus, & D. Gregor.) illi quippe ſuſtentant populum, carnem mollem, flaccidam: illi ſunt Reipublicæ conſiſtentiæ fundamentum. Si illi bene componantur ſuo loco diſponantur, ſi ſpiritu vitæ animentur, illico totus exſurget populus in vitam Hinc præcepit Deus medicis ſuis, quos ad viſitandum infi mum ſuum populum deſtinabat, primam manum ſtomacho adhiberent expurgando. Exclamat Deus tempore Ezechielis: Ezech. 9. 1. *Appropinquauerunt viſitationes vrbis.* Eo accurrite medici, *Et à Sanctuario meo incipite* Primum purificare ſtomachum à ſuis cruditatibus, quibus corpus infirmatur. *A ſanctuario meo incipite.* Et hoc ipſum agit noſter cœleſtis Medicus, viſitans ciuitatem hanc adeo languidam, vt de ea dicat Iſa. 1. 6. Iſaias, *A planta pedis, vſque ad verticem, non eſt in ea ſanitas.* Primum accedit ad curandum ſtomachum, id eſt templum, quod cruditatibus exundabat, ſacrilegiis, furtis, ſæuis vſuris, ad hoc dat illis verberum, flagelliq́ue minoratiuam, immunditiâ euacuetur animalium, profana exhauriatur auaritia, expellantur vendentes & ementes, proſternantur menſæ, ſellæ, pecuniæ, tabernæ, &c. *Eiiciebat omnes ementes & vendentes in templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.*

§. 13. Vendentes & ementes. *Adductio animalium circa templum, bonum habuit principium: porro de bono educimus malum.*

32 INtrauit Ieſus templum, inuenitq́ue illud prophanatum, baſilicam mercatorum, menſam nummulariorum, boum taurorumq́ue ſtabulum, agnorum, arietumq́ue ouile. Dices: deteſtandum ſcelus, non toleranda impudentia, ſacrilega irreuerentia, & domum & habitaculum Dei facere forum tam turpe, tam abominabile: verum eſt, fateor, noueris tamen, quod hoc ex bono ortum ſit principio, & ſancta intentione: L. 1. de adorat. In c. 21. Matth. quam peculiariter expendunt D. Cyrill. Alexand. & D. Hieronym. Præceperat Deus ſibi plurima offerri, nominatim omne primogenitum, ex ouibus, bobus & cæteris animalibus dein millena dixerim, ſacrificia. Hæc cum tanta eſſent, & cuiuſuis ſtatus tangerent perſonas, ſtatuit hæc omnia in vno tantum loco, à ſe deſignando, offerri; verumtamen cum ſciret Deus, eum, qui procul à loco deſignato diſtat, non ſine magno labore poſſe ad eum locum ſua deferre ſacrificia, hæc præſcripſit. *Cum autem longior fuerit via,* Deut. 14. 24. *& locus, quem elegerit Dominus Deus tuus, tibiq́ue benedixerit, nec potueris ad eum cuncta hæc portare, vendes omnia, & in pretium rediges portabiſq́ue manu tua, & proficiſceris ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & emes ex eadem pecunia, quidquid tibi placuerit.* Perpende (ait D. Cyrill.) Dei miſericordiam, qui tanto ſtudio cunctas facilitat difficultates, aufert offendicula, lapides tollit, videturq́ue mihi illud implere vatis Iſaiæ: *Semita iuſti recta eſt; rectus callis iuſti* Iſa. 26. 7. *ad ambulandum* Quando quippe Deus aliquid mandat arduum, ipſe continuò omnes exæquat difficultates.

Hinc ortum eſt (tradunt prædicti SS. Patres) vt ad præfatum locum à Deo, ad oblationes, & ſacrificia nominatum, magna adduceretur animalium multitudo, vt eis qui de longè veniebant eſſent ad manum, & ea in ſacrificia ſibi pretio compararent. Cum verò tandem locum hunc Deus deſignaſſet vrbem Hieruſalem, magna ſollicitudine inuigilarant, vt circa feſta Paſchalia populo aduenianti prouideretur, vnde eo deducebantur numeroſi ouium greges, boum, taurorumq́ue armenta, columbæ, aliæq́ue mundæ volucres. Creſcente verò auaritia paulatim mercatores deducebant ad templum tentoria ſua, vt ea meliori loco ſtatuerent, & qui maiori pollebat auctoritate, propius accedebat, donec ea tandem in templum ipſum inueherent. Quia verò aliqui ſine nummis veniebant, alij cum nummis, ſed diuerſæ imaginis ab iis qui vſu recipiebantur, intermiſcebantur campſores, qui eos certo lucro (ait D. Hieronym.) vel mutuabant, vel permutabant, proinde ad hoc menſas nummularias erigebant Ita vt, id quod primùm erat blandum religionis & ſuaue miſericordiæ opus à Deo ordinatum, paulatim degenerarit in ſacrilegium, rapinam, templi inhonorationem, crudelem pauperum deceptionem ſub titulo cambiorum, & qui initio temporis pij erant ac religioſi, poſtmodum euaſerint latrones, hoc eos nomine Chriſto compellante: *Spelunca latronum*

O cor humanum, quòd nedum malum ſis in malo, verum & in bono, & tam peruerſum, 33
vt quantumlibet bonum ſit opus, illud peruertas, & tranſmutes in malum, & ex medicina I. Homines

vertunt ad malum. haurias venenum, de pietate malitiam, de mi-
ſericordia furtum, de religione ſacrilegium:
cuncta pœne dixerim quæ manibus vſuque tra-
ctamus, bona fuerunt, à Deo quoque inſtituta
in ſalutem noſtram, & omnia peruertimus in
tantum, vt id, quod pietatis habuerat originem,
& nobis ad noſtrum fuerat conceſſum emolu-
mentum, illud extendamus, ac in malum, dam-
numque nobis conuertamus. Bonum princi-
pium habuere cibi, quos Deus nobis in vitæ
creauit alimentum, & virtutis temperantiæ ma-
teriam, extendimus autem illos, vt ſeruiant, &
gulæ, & luxuriæ, & ad vitæ noſtræ filum citius
abrumpendum. Ex optima intentione Deus
creauit linguam, vt illâ noſtros inuicem conce-
ptus animi declaremus, cum ſit homo animal ſo-
Hier. 9. 3. ciabile: verumtamen: *Extenderunt linguam
ſuam, vt arcum mendacij.* Adeo vltra linguas ex-
tenderunt, quàm fuerat illis conceſſum: linguis
enim, vt inſtrumentis vtuntur mendaciorum &
quibus vnus alterum decipit fraudulentus. Ocu-
li neceſſarij, ſunt ac vtiles, quibus ſe prodit ani-
ma, vt ad feneſtras, in domo corporis, in qua
habitat, nos eos vt ianuas ſtatuimus per quas in
damnum noſtrum intrat inimicus vt eam de-
prædetur, perdat, vt tibi cum Propheta liceat
Thren. 3. 5. dicere: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.*
Idem verum eſt in auribus, manibus, pedibus,
& cæteris.

Pereleganter circa illud diſcurrit Spiritus S.
ſupponit hanc magnam eſſe noſtram miſeriam,
quòd adeo ſimus nequam, vt id quod Deus nobis
dedit ad maiorem noſtrum profectum, ſuique
famulatum, conuertamus in turpiorem ſui of-
fenſam, noſtramque perditionem grauiorem.
Sap. 14. 11. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentatio-
nem animabus hominum, & in muſcipulam pedi-
bus inſipientium.* Creaturas Dei, bonas eſſe, &
Gen. 1. 31. valde bonas, nemo negat. *Vidit Deus cuncta quæ
fecerat, & erant valde bona.* Cum illæ igitur, il-
læque bonæ ſint, verum eſt, quòd illas nobis in
rem noſtram contulerit; at deplorandum, quòd
ex his odium, nequitiam, muſcipulas & laqueos
animabus noſtris eliciamus. Diuina hoc proba-
tione, aſſeritur; Quid idololatria nefandius?
hanc Iob vocat maximam iniquitatem. *Eſt ini-*
Iob 31. 28. *quitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimũ.*

Hanc ne credideris cum homine ſumpſiſſe
34 principium: *Neque enim erant ab initio idola:*
qua ratione igitur ſunt introducta? quis tali pri-
mùm impietati poſuit fundamentum? *ſuperua-
cuitas enim hominum hæc adinuenit in orbem ter-
rarum.* Defectus ſcientiæ in homine ſtultitia:
hoc enim ſignificat *ſuperuacuitas.* Et quomodo?
*Acerbo enim luctu dolens pater, citò ſibi rapti filij* Sap. 14.
*fecit imaginem & illum qui tunc quaſi homo mor-* 14.
*tuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit.* D.
Fulgentius *a* opinatur, quod loquatur de Syro- a Lib. Mi-
phane Rege Ægypti. Et D. Epiphan. *b* de Thare thol.
Chaldæo. Et D. Iſidor. *c* ad hoc refert plures hi- b In prin-
ſtorias; porrò modo ſequamur gloſſam Lyra- cip panar.
ni, vbi agit de Balaam: *d* Nino Monarchæ Ba- c L. 8. E-
byloniorum, & Aſſyriorum morte ereptus eſt pa- thimolog.
ter Belus, & vt verus filius, qui patri ſuo pluri- d In Gen.
mum deferebat eius ſculpſit imaginem, quam ſi- 11.
bi retinebat. Illam vt defuncti patris figuram Idololatriæ ori-
honorabat, coram illa lachrymas fundebat, vt-
pote, qui rapti ſibi patris defleret iniuriam. Hoc go.
viſo ſerui, magnates, nobiles, hanc quoque cole-
bant imaginem: de quo ſibi complacebat Ninus
& quem cerneret eius cultui magis addictum
huic plura conferebat beneficia, & qui ſingulari
illam deuotione venerabatur ab ipſo præ cæteris
promouebatur. Hinc cœpit imaginis huius cul-
tus, quam venerabantur velut cauſam ac ſcatu-
riginem omnium beneficiorum quibus illos Rex
dignabatur, & vt viderunt quòd quo eam pluris
faciebant, eo Regi forent gratiores, adeo cultus
huius excreuit imaginis, genuflexionibus, pro-
ſternationibus, oblationibus florum, odoramen-
torum, incenſorum, vt tandem ei altare erexe-
rint, ſacrificia fecerint & vt Deum proclama-
rint, Dominumque ſuum adorarint. Secundum
hanc figuram, alias, & alias depinxerunt, quas
per Monarchiæ Nini prouincias diſpergebant,
illis honorem impertientes, adorantesque vt
Deos.

Hinc principium eduxerunt, & vlterius pro-
greſſi ſunt Regis adulatores, qui Regum ma-
gnatumque cœperunt depingere imagines, qui-
bus ſtudebant adulari, gratificari, & ſummis
honoribus abblandiri, quo factum eſt, vt paruo
temporis interuallo, repleta terra ſit idolis quæ
per varia regna tranſmittebant adoranda. *Illos
quos in palam homines honorare non poterant pro-
pter hoc quod longè eſſent, à longinquo figura illo-
rum allata, euidentem imaginem Regis, quem ho-
norare volebant, fecerunt, vt illum qui aberat, tan-
quam præſentem colerent ſua ſollicitudine &c.* Rem
admirandam quòd ex filij pietate, ex honore ac
reuerentia debita patri ſuo collata, ex re tam pia,
iuſta, à Deo conſtituta, prodeat monſtrum, tam
horrendum tam Deo, eiuſque legibus aduerſum,
quale credimus, idola vt Deos adorare. Hæc de-
flenda noſtra eſt calamitas quòd omnia inuerta-
mus, & peruertamus. Ita viuimus, vt nobis di-
cere-

Rom.7.13 cere liceat D. Paul. propoſitionem: *Quod ergo bonum eſt, factum eſt mihi mors?* Bonum erat ac neceſſarium homini, ſuam tegere nuditatem, fuitque huius auctor Deus, qui tunicas pelliceas compoſuit, iiſque Adamum contexit denudatum, in ſignum noſtræ mortalitatis & teſſeram miſeriarum, (teſte D. Athanaſio.) Hinc quot qualeſque vanitates? compingimus, & confingimus veſtes noſtræ inſipientiæ ſtoliditatiſque inſtrumenta. Bonum principium habuit parentum de filiis ſolicitudo, qui ſicut illis dederunt eſſe naturale, oportet, vt & largiantur eiuſdem conſeruationem. Attende verò, qua ratione hinc anſam ſumas vſuris fœnerationibus, pauperum oppreſſionibus, auaritiis, & hæc omnia, vt filio tuo diuitias accumules ampliores. Tales erant miſeri illi, qui ex hoc, quod Deus in pietatem, ſuiq; ſtatuerat obſequium, ſuxerunt Dei offenſam & ſacrilegia.

§. 14. Speluncam latronum. *Latrones erant hi, quos D. Cyprianus vocat honoratos, & Amos vncinos pomorum, ſanguiſugas, qui perdunt Rempublicam.*

35 Ioan.c.2. INuenit Chriſtus templum vt diximus, prophanatum. Narrat D. Ioannes quod à triennio ante, primò ſcilicet anno prædicationis Chriſti, aſcendit in Paſchate in templum, inuenitque eandem in his perditis hominibus iniquitatem, & honoris Patris ſui zelo percitus, fecit flagellum de funiculis, quibus animalia vincta adduxerant, & verberibus maioribus illos & illa eliminauit, præcipiendo *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Ioan.2.16. Verba ſatis ciuilia. Perpendit Abulenſis quòd duobus ſequentibus annis, non fuerint auſi tale quid vlterius committere veriti Chriſti præſentiam, qui ſingulis feſtis Paſchalibus aſcendebat in templum. Modò verò vt eum audierunt omnibus proſcriptum ſuffragiis, mortique adiudicatum, & iam receſſiſſe in terram Ephrem, eum non reuerſurum arbitrabantur, quòd proinde illis locus campuſq; liber eſſet, vt aperta fronte poſſent ad ſuas pedem referre nequitias. Vt autem, illis nihil tale ſuſpicantibus Chriſtus vrbem eſt ingreſſus, & recta templum adiit: inuenit ea quæ illic illi adduxerant, quocirca iterum flagellum conſtrinxit (vt credit D. Hier. & probat Abul.) & in illos inſurgens vehementior, verberibus, vt canes, cum animalibus exterminauit: addicit quoque & aliud flagellum multo atrocius, eos latrones indigitans, quod primùm non dixit. Si eos, qui in templo bona prædabantur temporalia, quos idcirco vocat latrones, ſic ſeuerius caſtigat quàm ſeuerè bonorum templi fures ſacrilegos caſtigabit, qui decimas, qui primitias, qui redditus ſuffurantur? Notat. D. Aug. in Exodo D. Avg. Li. qq. in Exo. q. 171.
id quod S. Scriptura narrat dum Moyſes Dei præceptum de conficiendis arca, menſa, candelabro, tabernaculo, veſtibus ſacris mandat executioni: citat primum populum, *Vt offerret neceſſaria.* 4. Exod. 35. & 36. Et demum artifices: *Vocauit omnem virum eruditum, cui dederat Dominus ſapientiam. &c.* quibus cuncta à populo oblata tradidit, & illis operantibus, populus quotidie noua deferebat. Exod. 3. *Qui cum inſtarent operi, quotidie mane populus vota offerebat. Vnde artifices venire compulſi, dixerunt Moyſi; Plus offert populus, quàm neceſſe eſt. Iuſſit ergo Moyſes voce præconis cantari nec vir nec mulier offerat vltra in opere ſanctuarij.* Vix capio, quòd tot diuerſi artifices hoc dixerint. An non potuerint ſuperfluum ſibi reſeruare? An non ſibi accipere id quod fabricæ non congruebat? Minimè? ait D. Aug. *Poterant ſi vellent, multa auferre, ſed modeſtia prohibuit, vel religio terruit.* Hos naturalis iuſtitia, illos terror angebat, ne quidquam ex oblatis pro tabernaculo ſibi arrogarent, quia illud credebant in animæ ſuæ ceſſurum perditionem proinde ſine computu illis dabatur *Ad opus templi* illud etenim quod templo dedicabatur, adeo ſacrum erat, vt nullus ſibi hoc aſſumere præſumeret, territus metu ſuppliciorum. Ecce quid hic futurum. Si illos, qui in Dei templo furabantur, non templi cenſum, ſed eorum qui ad templum concurrebant, bona, adeo mulctat auſterus: Graue eſt funium flagellum, quo corpora plectuntur; durius autem multo (teſte veritate) flagellum linguæ, quo corda perſtringuntur. Eccl. 28.21. *Flagelli plaga liuorem facit plaga autem linguæ comminuet oſſa.* Et enim qui blandiori mitiorique flagro non emendatur, adeſt vltor Deus, qui grauiori percutit, quod cor transfodiat, animamque plaga conterat atrociori. D. Avg. q. 17. in Exo. Tom. 4.

Quærit D. Auguſt. cur Deus dixerit Moyſi. Exod. 7.1. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Quando enim legatum ſuum miſit ad Pharaonem. Et quando eum miſit ad populum ſuum non ait: *Ecce dedi te Deum populo*? & de Aarone loquens ait: *Aaron frater tuus, erit propheta tuus*; cur ei non dixit: *Tu eris illi Deus*? Alias dixit de Aarone: *Aaron erit os tuum, & tu illi, quæ ad Deum: Non dictum eſt* (ait D. Auguſtinus) *Tu illi Deus*: ſibi ipſe reſpondet D. Aug. fieri enim poteſt, quòd Pharao obduratus ſit, ob hoc neceſſe eſt cum

» illo agas auctoritatiuè, in brachio extento, & adhuc non emendabitur. Propterea dixit ei, *Conſtitui te Deum Pharaonis*, vt poteſtate ſuprema illum reprehendat, retundat, caſtigetque contumacem Talis enim auct ritas, aſperitas talis optimè tali conuenit contumaciæ. Ita hos quoque, vt ceruicoſos arguit, & tanta corrigit ſeueritate; mites autem blanda Deus excipit manſuetudine. Aduertas velim quàm genuinè horum declaret nequitiam, eamque quam committebant perfidiam, dum illis ait: *Feciſtis illam ſpeluncam latronum*: habent ſua latrones ſpelæa, quibus ſe tueantur, abſcondantque & ſe, & rapinas ſuas: quaſi illos accuſaret, quod domum Dei facerent, ſuis latrociniis prœdiſque tegumentum.

36
*L. ad Demetria.*
*Ser. de malis e-uertend. Tom 5.*

Dignus D. Cypriani ingenio conceptus, quem exponit ad Demetrianum Africæ gubernatorem, vt eius retundat blaſphemias; in quo declarat, qui ſint qui Rempublicam peſſumdent; illum imitatur elegantia Ciceroniana D. Chryſ. prouerbium eſt dicunt hi SS. Patres; latrones maximè perdere Rempublicam hoc dicunt omnes; ſed hoc ne intellexeris de iis quos tales iudicas, & patenter agunt latrocinia: noueris enim duo eſſe genera latronum: ſunt enim quidam viles, abiecti, inhonorati, qui aperta fronte furantur, dum populum deprædantur, & maximè in ſyluis, pagis, itineribus. Qui tibi pallium auferunt incurioſo, qui tibi in via obuii veniunt itineranti, & crumenam exigunt, & alij plures tales, quales illi erant quos cum Chriſto crucifixerant latrones & latrones: *Duo nequam*, quos alij Euangeliſtæ diffamant, *duos latrones* q. d. duos latrones infames. Alij vero ſunt latrones honorarij qui tibi peculium diripiunt, ſanguinem exſugunt, tandem perdunt pauperrimum, attamen hoc agunt honorabiliter, quaſi ſub ſpecie tibi gratificandi. Accedit pauper operarius qui labore diurno ſibi victum quærit, indiget centum ducatis, petit illos à fœneratore mutuo ſibi concedi. Reſpondet ille. Mihi crede, chariſſime, vicem tuam doleo, quia pecuniæ mihi nullæ ſunt, ſed tandem ſuccurrere tuæ volo neceſſitati: habeo hic mulam quandam, quæ licet mihi ſeruiat, eam tibi conſignabo libentiſſimè, vt eiuſdem vtaris opera, & in quòd illo tibi ſit ſubſidio; mihi hoc erit pergratum, licet valde ſit incommodum. Sub hoc charitatis prætextu procedis, & cum decem non valeat ducatis, eam pauperi mutuas pro trigiuta latro honorarius. Nota alium (ait D. Auguſt.) q em rerum omnium indiga conditio cogit vendere arua, domus, villas, &c. & ſub titulo, quòd ei compatiaris, ais illi; ſuccurram tibi, & partem tuorum ſumam mihi bonorum; & domum ſeu pratum, quod centum nummos valet, extorquens pro decem, latro honorarius Accedit alter vir nobilis ſeu ciuis ad extrema redactus ſupplicans, vt eius neceſſitati quibuſdam pecuniis ſuccurras: quid tu? mea mihi, nulla eſt pecunia, ſed cognati mei, vel amici, certam habeo quantitatem, vt eam ad tales nundinas pro cambio commutem; ſicque das pecunias, ſine codicillis vllis ſeu ſyngraphis, nec interuenit realiter vllum cambium, niſi quòd eam in tuo conſerues ſcrinio & ad terminum quatuor menſium conputus tuos facis lucrando ex cambio & recambio, ita vt illi numeres decem vel duodecim in centum: prædo honorarius. Accedit cauſæ alicuius actor, ad rerum illarum expertum aduocatum, exponit illi actionem ſuam, quæ cum nullo iuſtitiæ fundamento nitatur: reſpondet ille, & exhibet eam quaſi meridiana luce clariorem, ac ſpondet quòd eam defendet acerrimue, ſicque fideliſſimus futurus eius aduocatus, qui & contra doctiſſimos ſtabit eloquentiſſimus; quo id quod illi ſupereſt nummorum emungat miſerumque nudum conſtituat, ſic vt nec oſſibus hæreat: prædo honorarius Hi ſunt (teſtantur prædicti Patres) Reipublicæ ruina, quos latrônes Deus per Amos Prophetam vocat pomorum vncinos.

II.
Duo genera latronum.

*Luc. 32. 32.*
*Matt. 27. 38. & Marc. 15. 27.*

*Serm 20. de verbis Domini.*

Aduocat ſibi Deus vatem Amos, aitque: *Quid vides Amos?* Attollit vates ocul s: *Vncinum pomorum ego video.* Optimè vidiſti, ait Dominus: proinde ſcias hanc eſſe Reipublicæ perniciem: *Bene vidiſti: Venit finis ſuper populum meum Iſrael*: Quid hoc Domine, eſſe vncinum pomorum, hoccine deſignat ciuitatis excidium? Quos impetis? Reipublicæ prœdones honorarios: *Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes. Quando tranſibit meſſis, &c. vt poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis quiſquilias frumenti vendamus.* Quàm ad viuum depingit telonarios & prœdones honorarios noſtri temporis, qui tempus præſtolantur, quô agricolis, ac pauperibus deficiat triticum, vt eis quiſquilias frumenti auro appendant, qui ad vſuram commodant viliſſima quæque domus ſuæ ac horreorum ſordes, & cum totum id, quod dant, non valeat æra minuta duo, ſummo tamen vendunt pretio. O quam graphicè tales comparat vncino pomorum. Pomum ex altiſſimo arboris ramo dependet, nec poteſt alter illud manu decerpere: delaceraret enim ac diffunderet arborem; ſi eam aſcenderet; vtitur vncino, & illo paulatim ac ſuauiter inclinat

*C. 8. 14.*

clinat ramum, pomumque decerpit, & ramus pomo ſpoliatur, ſed nec ille frangitur, nec ſe periculo exponit, pariter nec ramus offenditur, aut ſtomachatur.

37 O ciues honorarij, latrones vncini pomorum; intendis auarus pauperis ſubſtantiolam deprœdari, & pupilli innocentis inuadere hereditatem, ais: ne hoc fiat dirumpendo ramuſculum, nec offendendo heredem, ſed inuncando, nimirũ ſi illi perſuaſeris ac promiſeris, quòd ei paratus ſis mulâ tuâ, ſeu boue, ſeu panno, ſeu nummis, mutuo auxiliari, & ſub titulo operis boni ac miſericordiæ, quaſi illi fidas, quaſi illi des id quod habes, illi interim quadruplicatum imputas pretium pro eo quod medio vix valet, & multos nummos exigis pro ſolutionis dilatione, fur honorarius. Hoc (dicit Dominus) perdit Rempublicam. *Venit ſinis ſuper populum meum.* Hi autem (inquiunt præcitati Patres) ſunt latrones honorarij qui eam tandem populantur. Hanc autem allegant rationem: quia latronem publicum, cum omnes vt talem agnoſcant, omnes perſequuntur, tendunt illi inſidias, in illum vociferantur: ab his autem honorariis quis ſibi cauebit? ſunt etenim illi honorati, populo venerabiles, & qui ſæpenumero regunt, virgâ iuſtitiæ præeminentes, quos vt pauperum patres celebrant, ac ſuſpiciunt, qui ſe apud vulgus indoctum iactant, vt viros miſericordiæ ac proximum amantes. *Hi tantò ſunt illis* (teſtatur D. Chryſoſt.) *deteriores, quanto ad euitandum difficiliores videntur, &c. In latronibus* (Aſſerit D. Cypria.) *eſt vtcumque aliqua ſcelerum verecundia, & deſertas ſolitudines eligunt. &c.* Horum verò: *Eorum auaritia palam ſeuit, & ipſa ſua audacia tuta &c.* Expendamus illa verba: *Sua audacia tuta.* Quàm hi quieſcunt ſecuri in domibus ſuis? quàm liberè vbique circumuagantur? nec curiæ præpoſitum, nec vrbis timent ſatellites. Alter autem latrunculus, abiectus, timet, anxius viuit ob præſumptam audaciam, ob furto ablatos quatuor regales, pallium ciui derogatum. Illi verò qui tutâ prædantur audacia quam honorati, quam ſecuri, quam liberi? *Sua audacia tuta*, ſoleo conſiderare, id quod contigit pulici & ſanguiſugæ. Ambo hæc animalcula ſanguinem venis exſugunt, ſed pulex abſconditè, ſtudens ne videatur, exſugit vix guttulam, & eo inſtante, quo illam ſentis, quos non motus contra illum excitas: quæris hic illic, & inuentum interimis iracundus: cenſes enim eum tibi ſanguinem exſugere pretioſum. Sanguiſuga verò extrahit integras libras, & ipſe eam tibi admo-

D. Chr. Ser. de mali e- u r tadis Tom. 5.

II. Qui ſunt ſanguiſugæ.

ues, tibi retines, tibi conſeruas in aquæ paropſide: prætendis enim bene tibi faciat; at illa hæc minimè intendit: ſed ſolum quærit tuo ſanguine, quem ad id appetit ſuam ſatiare ſitim. Sic ſe res habet: viliſſimus latrunculus inſtar pulicis eripit tibi gallinam, de grege ouiculam, aut ſimiles quiſquilias; omnes in eum arma mouent, omnes eius aggrauant nequitiam, omnes eum ad ſupplicium adiudicant, omnes perſequuntur; hunc ſi capiunt in malam crucem tollunt, aut virgis publicè cædunt, aut aures præſcindunt, vt de cætero cognoſcatur. Verumtamen latrones honorarios; qui magnis libris tibi ebibunt ſanguinem, contractu vſurario, non occultè, ſed toto ſpectante mundo, teſtibus, notarijs, publicâ ſcripturâ adhibitis, in medio fori, illos quæris, honoras, facta approbas, quibus ſecuri viuunt venerabiles, & veſtro ſanguine incraſſantur. Hos ſic vt nemo melius, deſcribit Spiritus S. calamo vatis Hieremiæ. *Quid niteris oſtendere bonam viam tuam? In alis tuis* Hiere. 26. 14.
(legit Vatablus, *Sub veſte tua*) *inuentus eſt ſanguis animarum pauperum, & innocentum.* Fœdifrage, qui niteris perſuadere nobis, quòd benefacias pauperi vir miſericos, & illi te ſtudeas auxiliari; attolle pauliſper laruam, & patebit te pauperis inſatiabilem eſſe ſanguiſugam. Tales hi erant qui titulo peregrinis auxiliandi, eiſque quæ ad ſacrificia requirebantur, vendendi, alleuiandi, ad templum animalia conduxerant, quaſi dicerent. Huc illa adduximus, vt veſtrum & laborem, & curam ſubleuemus. Habebant & ad manus pecunias, quas mutuo, aut in cambium darent, quaſi qui vellent illis ſuccurrere, qui ſine pecunia accedebant, aut volebant illam alia permutare: verumtamen erant hæc omnia furta, vſuræ, & latrocinia.

## §. 15. Speluncam latronum. *Deum illi ſumebant nequitiæ ſuæ pallium, ipſis peiores Sodomitis: ſuffulciunt illam virtutis ornamento,*

D*Omus mea, domus orationis eſt, vos autem feciſtis illũ ſpeluncam latronum.* Voluit Chri- 38
ſtus horrendam illorũ exponere malitiam, his verbis, quod de templo Dei eiuſq; ſanctiſſimis ſacrificiis, ſuis furtis ac latrocinijs pallium contexerent. Nefarium ſcelus ſub titulo famulatus Dei, & ſacrificiorum eius ſubſidii, conuehunt animalia ſacrificanda, menſas erigunt nummularias peregrinis, ne pecuniarum defectu opus adeo religio-

religioſum intermitteretur, prima tamen intentio hæc erat; lucrari, ad vſuras dare, deprædari: & ſub ſpecie: quod Dei templo eiuſque ſacrificiis intenderent ſtudioſi, illud auaritiæ crimine inhoneſtè violabant. Ecce ſcelus omnium pœne dixerim, quæ committuntur contra Deum, præcipuum, quod adeo Chriſtum exacerbat, vt eum impellat ad facinus tam illi non conſuetum, nimirum vt ipſe ſit carnifex, ipſe ſit, qui propria illos manu fuſtiget: & quod illud? In Deum peccare, ſub prætextu ipſi ſeruiendi. Ecce domicella illa, eo quod domi locum liberum ſuis concupiſcentijs, ſuis aſſignationibus non habeat, marito nimis inuigilante, prætextum ſumit Iubilæi, ſtationum, feſtorum, Eccleſiæ. Vſurarius, vt vſuras ſuas iuſtificet, & pauperculum inuertat, hæc ad eum; mihi fide, vir enim ſum qui ſingulis Dominicis peccatorum inſtituo confeſſionem, cui ſummæ ſit curæ æterna ſalus; ô vtinam confeſſiones, ac communiones non ſumat, vt fidem ſuam alijs augeat, quò ſecuriùs: ac liberiùs ſuas concludat decipulas De hoc grauiter Deus conqueritur: *Seruire me feciſti in*
Iſai. c. 43. 24. *peccatis tuis.* O praua generatio: heu! me vt cooperimentum aſſumpſiſti: & ſeruire feciſti vt tertiam tuis ſceleribus perſonam, & meo nomine, meo ſeruitio tibi præſidio fuiſti, vt eo in ſcelera rueres audacior.

In c. 4. L. Thren. Hinc elicit D. Tho. declarationem illorum verborum ſatis intellectu difficilium, quæ dixit
Thren. c. 4. 6. Deus per Prophetam Hierem. *Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum,*
I. Sanctitas nequitiæ pallium. *quæ ſubuerſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus.* Bone Deus: quod ſcelus eo poteſt eſſe grauius? Tale enim fuit Sodomorum ſcelus vt eius grauitas in cœlum vſque vociferaretur, vindictam tantæ poſtulans nequitiæ, quin & ipſe Deus deſcendit vt illos plecteret pro merito, & in momento nefandas ſubuertit ciuitates. Non illis immiſit terrenos inimicos, qui eos obſiderent, & in manus captiuos raperent puniendos, ſed ipſe eos ſulphureo mulctauit incendio. *Subuerſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus.* Quod igitur in populo Dei accidiſſe poterit peccatum hoc grauius? Non loquitur de peccato populi ſui ſecundùm ſpeciem ſuam, ſed ſecundùm quandam circumſtantiam: nimirum, quod peccatum ſuum titulo, pallioque tegerent ſanctitatis, & ipſum Deum aſſumerent ſuis nequitijs tegumentum, ac ſeruire facerent ſuis ſceleribus mediatorem. Grauem irrogat marito iniuriam, qui abuti conatus eius vxore, ipſo tamen inſcio porro qui hoc attentaret interueniente ipſo marito, cuius ſibi amicitiam nomenque conciliaret vt tanto acceſſum in domum habeat liberiorem: indubiè grauius illum in hoc, quàm in primo offenderet. Deteſtabilis fuit illa Sacerdotum Bel nequitia, qui ad ſua furta & ingluuiem Dei altari abutebantur, de ſub cuius fundamento ſibi abſconditum effoderant egreſſum & ingreſſum: ita vt altare, eorum celaret infandam peruerſitatem: idque tam ingenioſè, vt nullus id agnoſceret, donec tandem accurrerit Propheta Daniel, qui cinerem ſpargens eorum fraudes aperuit. O ſi Deus nobis tales deſtinaret Danieles, quàm multos tales detegeret, qui diuini altaris præſidio vtuntur in ſuis voluptatibus, curis, fraudibus, illoque ſua furta, vſuras & auaritiam cohoneſtant: vt in illis Oſeæ vaticinium impleatur: *Aræ factæ ſunt ei in delictum.* Dan. c. 14. Ozeæ 8. 11.

Querelam Dei ponderare poſſemus contra illam quæ prætioſis, & multicoloribus veſtibus, à Deo ſibi dono conceſſis, ſua idola contegebat: *Et tuliſti vaſa decoris tui, de auro meo, atque argento meo, & ſumpſiſti veſtimenta tua multicoloria, & operuiſti illa.* Ezech. 16. 17. Ille qui titulo iuſtitiæ ſua tegit odia, & furentem palliat paſſionem, quâ in eum ſæuit à quo offenſus eſt; ille qui prætextu, quòd cum illum Deus patrem fecerit, filijs ſuis debeat theſaurizare, ſuam in pauperes ſæuitiam cohoneſtat; ille qui ſub nomine pij operis alicuius faciendi, ſeu monaſterio auxiliandi, ſuam ſanctificat cupiditatem, quò pauperculum ſuum opprimat debitorem. Ita perfidus Saul ſuam auaram condecorauit inobedientiam, titulo religionis ac ſacrificiorum, & diuini cultus, greges Amalec alioquin occidendos, reſeruando. 1. Reg. 15.

Pari modo, ſimili dolo patricida Abſalon ſuam in patrem Dauid cooperuit rebellionem, ſimulachro deuotionis, quòd votum ſuum tenderet in Hebron impleturus, interim ſubditorum prouocat animos, vt in patrem inſurgant perduelles Sub pallio charitatis, & imagine defendendi miſeram puellam, illam alter ſua detinet domo, & ſi quando verò talem admones vt domo eijciat lapidem vtriſque offenſionis, reſpondet; ſe illam nolle diffamare, quàm ſi foris eliminet, actum eſt de eius honore & animæ ſalute: nullus enim illi manum porriget auxiliarem. Liberet vos Deus à tali ſpecie peccatorum, duabus de cauſis. Prima: ſunt enim contra Deum grauiſſima ſcelera, & quantum ad illam circumſtantiam, Sodomorum ſceleribus atrociora, vt diximus & illa perpetrantes ſunt illis ſimiles blaſphemis, qui ſimulantes ſe Chriſtum vt Regem adorare,

capiti

capiti eius ſpineam coronam impoſuerunt, quâ caput ei terebrabant, ac cordis intimum penetrabant, quique ſub ſalutationis nomine in eum conſpuentes illudebant.

Secunda: eo quod peccata ſint, quæ non corriguntur, ob quam rationem illa Spiritus S. vocat fortia. *Cognoui ſcelera veſtra, & fortia*
Amos c. 5. 12. *peccata veſtra.* Quando byſſus eſt ſimplex de facili rumpitur, ſi verò illi aſſuas fortem ſuffulturam, hâc ita roboratur, vt tam difficilè rumpatur, atque ipſa ſuffultura.
Iſai. 59. 5. Peccatum tela eſt flaccida, *telas aranearum* illa vocat Spiritus S.
II. Quæ ſunt peccata fortia. quotieſcumque quis peccatum aliquod committit ſimpliciter, ſub nullo prætextu vt cognoſcit perperam eſſe factum, & in animæ corporiſque damnum vergere, Deum ſibi aduerſari, dæmoniveſſe ſe traditum poteſtati, pedem retrahit: hic ſuam perpendens vitam luxurioſam, alter à prædicatore correptus, alter confeſſarij diligentiâ, dirumpit ſimplicem illam telam. Verumtamen quando virtute aliqua fulcitur, forte euadit peccatum: cum enim illâ ſe miſer decipiat ſuffulturâ nedum hoc iudicat vitium, ſed id quod in rei veritate tale eſt, inſuper vt virtutem veneratur:
D. Cyp. Epiſt. 1. ad Donatum. Parcat tibi Deus, ait Diuus Cyprianus *quando miſeris ſiunt religioſa delicta.* Hoc Iudæorum erat crimen: oſtendit autem Chriſtus, quantum hoc ſibi diſpliceat, quàm illos ſalutis ſpe priuatos cenſeat, cum ipſis nec prædicet vt conuertantur nec eos moneat vt emendentur, nec tantum patiatur impudentiam, ſed ilico vt vidit, nihil moratus, illos cœdit duro flagro ac tribus verbis quid agant explicat, laruam in furtis, rapiniſque detrahens, ait: *Feciſtis illam ſpeluncam latronum.*

§. 16. Sanauit eos. *Omnes infirmos curauit Chriſtus in templo: locus enim eſt omnibus miſericordiæ, vt dixit Dauid.*

40 ET *acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in templo & ſanauit eos.* Eiectis templo violatoribus, & loco ſacro abutentibus, cœpit in eo Chriſtus illuminare cæcos rectificare claudos, infirmis ſalutem impertiri: quaſi dicat: Ecce ad quid erectum ſit templum, non ad cupiditatem, vſuram, latrocinium, prophanationem & omne ſcelus; *Auferte iſta hinc.* Domus eſt Dei ad quam acceditur, ad Dei miſericordiam eiuſque beneficia impetranda, vbi illa largitur manu adeo liberali, vt quotquot eò veniunt ſuis malis remedium quæſituri, certo certius illud conſequantur, hinc videtis, in quem finem templa Deo conſecrentur, & in quem finem voluerit Deus nos eis vti, ſcilicet. vt loca ſint deſtinata, vbi ab eo poſtularemus ſupplices & obtineremus hilares Dei benignitatem, remedium noſtris calamitatibus, paupertati noſtræ ſubſidium, & ſalutem noſtris infirmitatibus ſingularem. Notat Oleaſter. *Numquam legimus, Deum inſtituiſſe in hoc mundo domum iuſtitiæ, in qua reos puniret, aut ſaltem iudicaret; ſed cum ſit clemens domum, qua peccatis noſtris propitiaretur, inſtituit, non vnicam ſed pœne infinitas Quot enim ſunt Eccleſia, tot ſunt domus propitiationis. Et erexit cornu ſalutis in domo Dauid, &c.* Sociauit Dauid precibus noſtris Dei miſericordiam, quam ſi proſtratus rogaueris, aſſequeris. *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.*

I. Deus nunquam hic domum iuſtitiæ ſed bene miſericordiæ dedicauit. Olea. in c. 25 Exod.

Pſ. 65. 20.

Hoc optimè declarauit virorum ſapientiſſimus, quando conſtructô illo permagnifico templo, non æſtimabilibus diuitiis auro, argento, gemmiſque pretioſis toti orbi admirando, hoc primum declarauit, (teſte Spiritu S.) hoc ſe templum, non erexiſſe, quaſi eo Deus indigeret: cum illi nulla deficiat domus, incolit enim orbes illos cœleſtes: cuius tanta quoque ſit maieſtas vt nec illi tantæ ſint capaces magnitudinis. Secundum proteſtatur: ſe hoc erexiſſe templum tantummodo in commodum noſtrum, vt in eo Deus, tamquam in propria moraretur domo, & hoc Dei noſceremus eſſe habitaculum, vt eò recurreremus auxilium noſtris neceſſitatibus precaturi. *Vt ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc die ac nocte de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi, vt exaudias in loco iſto, orationem ſerui tui, & populi tui Iſrael. ſi peccauerit homo, &c. Et venerit coram altari tuò in domum tuam, tu exaudies de cælo, &c Si fugerit populus tuus inimicos ſuos, &c ſi clauſum fuerit cælum, & non plueris propter peccata noſtra,* &c. Perpendit D. Baſil. Illa Dauidis verba: *In templo eius omnes dicent gloriam* in illis colligens quid nobis agere conueniat in templo: nimirum glorificare Deum, illum laudare ac honorare: ad hoc; & non ad confabulationes, diſſolutiones, irriſiones, cachinnos &c. templum Deo conſecratur.

3. Reg. 8. 29. & 2. Paral. 6. 21.

Hom. 15. in Pſ. 28. Pſ. 28. 9.

Porrò declarat Dauid quid interſit inter domum Dei, & Regum terræ palatia: In his etenim multi ad ſidera Regem laudibus extollunt, pro beneficiis ſibi collatis gratiſſimi. ſed hi non omnes: cum in his ſint ergaſtula, in quibus miſerè torquentur male factores, fureſque puniuntur, hi verò gemunt, conqueruntur, lachrymantur. In domo autem Dei, omnes habent, 41

vnde Deum glorificent. *Omnes dicent gloriam:* eò quòd in Dei domo caſtigatur nemo, nemo torquetur, nemo condemnatur, at omnes miſericordiam, omnes peccatorum obtinent remiſſionem, doctrinam, dona, Sacramenta. Hic te paruulum baptizant, peccatorem abſoluunt, ignoranti prædicant, eſurienti panem miniſtrant cœleſtem, plenarias largiuntur indulgentias. Vnde colligas præ cæteris magnum hoc eſſe Dei ſupplicium, quando templa nobis auferuntur. Stupendum terriculamentum Dei lego apud Ozeam, (Oſea. 8. 1.) quod ſubtiliter expendit Abbas Rupertus. Huic Deus præcipit, vt prædicet, & vocem ſuam inſtar tubæ exaltet teſtetur Deum grauiter eorum peccatis exacerbatum, qui proinde propoſuerit locum tradere inimicis, vt irruant velut aues rapaces ſuper domum ſuam: *In gutture tuo ſit quaſi tuba.* Inſonet guttur tuum vt tuba ſonora, quæ ſonum emittat canorum intelligibilem, qui ab omnibus diſtinctiùs audiatur. Domine quid dicam: *Quaſi aquila ſuper domum Domini, pro eo quòd tranſgreſſi ſunt fœdus meum, & legem præuaricati ſunt.* Prædico vobis, quod propter peccata veſtra, velox aderit inimicus, vt aquila rapax prædæ inhians ſuper domum meam, illam deſtructurus. Quid Domine: quale eſt hoc illis ſupplicium, & pœna quâ illorum diruis domos, funditus euertis, vt veniant hoſtes, qui eas ſolo adæquent; porrò veſtram diruant, non illorum at tuum dixero nocumentum? Hoc mihi neutiquam nocet (ait Dominus) ſed illis hoc eſt grauiſſimum damnum: eſt enim domus mea, refugij locus aſylum tutiſſimum, obtinendi peccatorum remiſſionem, vitam & miſericordiam: ſi hæc illis auferatur, ſibi perſuadeant omnia illis deficere. ac proinde meam euerti domum, nihil aliud eſt, quàm omnium bonorum, ac benedictionum fontem illis obturari. Hic cœci illuminantur, claudi ſaliunt vt vituli de armento, infirmi ſolidantur, ægroti ſanantur omnes, *Sanauit eos in templo.* Huc feſtinus accurre, dum premeris anguſtiis, vt tibi Deus intellectum illuminet, accendat voluntatem, tuos mortificet appetitus, tuam ſanet animam, tuos ſuppleat defectus, tuaſque curet medicus infirmitates.

§. 17. Numquam legiſtis: Ex ore infantium &c. *Maiorem vim habuit vox infantium; quàm Danielis; quam vt talem expendit propheta rex Dauid.*

V*Identes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia quæ fecit. & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna filio Dauid: indignati ſunt, & dixerunt: Audis quid iſti dicunt?* Viderunt mirabilia quæ in templo operabatur Chriſtus, & omnia illis fuerant vt claui in oculis præ nimia inuidia: verum id quod præ ceteris illorum torquebat animos, hoc fuit ſingulare; & in Chriſti laude præcipuum quod pueruli matrum vberibus ſuſpenſi, transeunte Domino, conuerſa facie ad illum, vt alaudæ, reguli, philomelæ cœleſtes decantarent, gloriam ac triumphum, eum confitentes vt Deum, Regem, Dominum & Saluatorem: *Hoſanna Filio Dauid.* Ad rem expendit D. Chryſoſt. (D. Chry. In Pſ. 8. To. 1.) Quod ex Dei conſilio, præuidens Dauid ſpiritu Prophetico hodiernum miraculum eſſe illud, quod illis Chriſtus (Pſal. 8. 3.) reuocat in memoriam, & iam impletur. *Ex ore infantium & lactentium &c.* vt intelligeremus non ſimplicem tantum populum vocari in ſcriptura *Infantes*, ſed pueros ſugentes vbera, in quibus ipſa natura nihil ſimile quid poterat operari. Hoc (inquit) fuit ſupremum quoddam miraculum, & Chriſto proprium huic occaſioni reſeruatum. Si mortuos ad vitam reuocauit, reuocârunt & Prophetæ, ſi leproſos mundauit, mundauit Naaman Syrum Eliſeus: Si dæmones eiecit, Dauid quid ſimile egit: licet eorum nullus, vt Chriſtus, nihilominus facta fuerunt opera talia: *Illa quidem* (ait) *etiam ante facta ſunt, & ſi non ſic, tamen facta ſunt.* Hoc autem mirabile, numquam: erat enim ſoli Chriſto reſeruatum: quocirca dixit Moyſi dum ſe ne legationem obeat, excuſat, vt balbum, hoc eſſe opus ſuum: (Exod. 4. 11.) *Quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem & cæcum.* Et ipſe Iſaias: (Iſai. 32. 4. & 35.) *Quid at linguæ expeditas iis qui ſunt impeditioris lingua.* Ita hunc locum legit D. Chryſ. & alia huic propoſito conformia perpendit. Hinc quoq; declarat hæc verba: *Perfeciſti laudem.* Alij ſic exponunt, quod dicere voluerit, naſcente Chriſto in mundo, cantârunt Angeli de cœlo diuinas eius laudes (Luc. 2. 13.) *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum & dicentium: Gloria in Alti ſſimis Deo.* Ne verò dixeris teſtimonium hoc laudis tibi non ſatisfacere, vtpote cum ſit familiarium domus, &

duci poſſit in ſuſpicionem vel quod voces illæ fuerint Phantaſmata formata in aëre, inter noctis tenebras, ideo huic incepto cantui Angelorum hodie vltimam addunt perfectionem Angeli terreni, pueruli lactentes, tam ſimplices, & ob omni ſuſpicione prorſus alieni, vt eorum nequeat peruerti ſinceritas, vel vlla quamlibet aſtuta ac ſagaci malitiâ corrumpi ſimplicitas, nec obiici poteſt phantaſticas fuiſſe formationes inter noctis caliginem, ſed cum ipſos ſuis cernant oculis, media luce, & ſuis audiant illos auribus Dei facta laudeſque perſonantes.

43 Adeſt opportunè D. Ambr. In illud *Paſtores venerunt feſtinantes &c.* Conſiderat, & quàm
D. Ambr. in cap. 2. Luc. To 3. congruè venerint paſtores, vt perſonæ Chriſti primi fierent teſtes. *Non mediocre fidei hoc videatur exemplum, quòd vilis ſit perſona paſtorum: certe quò vilior ad prudentiam, eò præcißior ad fidem.* Magnum eſt ſimplicis plebis teſtimonium, ſine fuco, ſine dolo: in hoc autem cum primum locum obtineant lactentes, pariter & eorum teſtimonium præcellet, quo ſuis laudibus, & confeſſionibus, de Chriſto Domino teſtantur encomiaſte. Explicant alij, quòd hic Dauid cœleſte aperuerit myſterium, licet prædicto non adeo diſſimile. Allato per virginem matrem Chriſto puerulo in templum, præordinauit Deus, vt cum ibidem annis grandæui præſtolarentur, qui, quis eſſet qui templum adiret, teſtarentur, maieſtas eius quanta, quanta diuinitas in tantillo corpuſculo lateret abſcondita. Ita Spiritus S. ipſo die
Luc. 2. 27. Purificationis Virginis puriſſimæ præuenit, ac præmonuit Simeonem ſeniorem, vt eum in templo expectaret aduenturum. *Et venit in ſpiritu in templum.* Quocirca vt eum vidit, cordis vlnis ſtrinxit, cœpit vt cygnus pueruli laudes decantare: *Nunc dimittis ſeruum &c.* Erat & ibidem Dei inſtinctu Anna Propheteſſa octoginta annorum ætate decliuis, adeo in omnibus pietatis operibus inſtructa, adeo in diuinis myſteriis illuminata, vtpote quæ tot vitæ annos orationibus ac ieiuniis ipſo in templo impendiſſet; publicum
Luc. 2. 7. illa de Chriſto reddidit teſtimonium: *Loquebatur de illo omnibus, qui expectabant Redemptionem Iſrael.* Deus puer eſt, infans, èlinguis, non lo-
Iob. 12. 12. quitur, adſunt ſeniores, prudentes, ſapientes: *Quia in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* qui illum prædicent, collaudent, conteſtentur. Eius præconium inchoârunt ſeniores, ipſo adhuc puerulo: modo verò quando prouectiores eſt ætatis, & per ſe loquitur ipſo ad vltimam metam properante, perficiunt pueruli, & vltimam eius encomiis adhibent manum, & teſtimonium auditur irreprehenſibile, irrefragabile. Hoc eſt autem illud prodigium, quo Chriſtus ſuas obſerauit laudes, & confeſſiones ſuæ Diuinitatis (ait D. Chryſoſt.) qui cum puerulus eſſet & èlinguis ſuam prædidit potentiam linguas dirigens ſeniorum: modo factus adultior, eandem oſtentat linguas ſoluens oraque paruulorum.

Ad clariorem declarationem prædictorum Dauidis verborum varias expendit lectiones ex Hebræis: vbi enim nos legimus: *Perfeciſti laudem*, legunt alii *Fundaſti laudem*: q. d. Quòd laus hæc fuerit fortiſſima petra, quâ Chriſtus ſe Deum oſtentabat, & ſuos fundabat applauſus. Alij denique: *Conſtituiſti robur*: Nullum quippe fortius illo robur, quò Chriſti confundantur inimici, ipſe verò extollatur, ac proinde illud tanquam vltimum appoſuit: omnium enim Chriſti miraculorum fuit hoc vltimum: quò manum vltimam, & coronidem eis quæ patrauerat in ſuæ Diuinitatis teſtimonium impoſuiſſe videatur.

Notat inſuper D. Chryſ. quòd ſubtiliter ac præclarè cecinerit vates Rex: *Vt deſtruas inimicum & vltorem*, Attende (ait) quo vergebat illud 44
ex Dei conſilio miraculum. Perſpicuè & ad oculum hic deſcribuntur Principes ac Sacerdotes, I.
qui paulo ante Chriſtum morti deuouerant, quos Principes
neruosè vocat *Inimicos & vltores* Vltores dicit: dicuntur
eo quod hoc principaliter intenderent, populo à Dauide
perſuadere, quòd Dei iniurias vlciſcerentur, ac Dei vltores.
proinde ſe Chriſto proderent inimicos, vtpote honoris Dei viri zeloſi, quòd & ipſi Chriſto dixerunt, hanc eſſe ſuæ in illum perſecutionis rationem, quòd ſibi indebitum, Deo autem debitum honorem ſuperbus arrogaret: *Quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum* Quod iterum Ioan. 10. 33.
D. Ioannes apertiùs dicit: *Propterea quærebant eum Iudæi interficere: quia Patrem ſuum dicebat* Ioan. 5. 18.
*Deum, æqualem ſe faciens Deo. Inimicum & vltorem* (ait D. Chryſ.) *dicit populum Iudæorum,* D. Chry. Tom. 1.
*qui præferebant hoc facere, tanquam patrem vlciſcentes.* Hoc miraculum (ait) factum fuit propter Pſal. 8.
ipſos nominatim, in ſuæ Diuinitatis clariſſimum argumentum, non vero vt crederent, iam enim patebat eorum extrema, & irremediabilis peruerſitas: oculi enim eorum excæcabantur, ne eum agnoſcerent, & impletum eſt vaticinium Iſaiæ, teſte Diuo Ioanne: *Excæca cor populi huius*: ſed, *vt deſtruas* id eſt, *vt confundas*. Propter Iſai 6. 10.
illos igitur factum eſt hoc miraculum, Alia fecit Chriſtus, in gratiam & beneficium illorum, qui ea recipiebant: hoc autem in ſuorum inimico-

rum confuſionem maximam. *Alia non propter inimicos facta ſunt, ſed vt accedentes beneficium acciperent, vt docerentur alij: hoc autem, vt cor inimicorum obſtrueretur.* Alij legunt, (vt notat D. Chryſoſt.) *Propter alligantes te*: quibus verbis Dauid perſpicuè declarat hos Principes reprobatos, qui Chriſtum iam cruci addixerant, & mandata proclamârant, vt eum captum, ac vinctum traheret, quicumque potuiſſet, Ecce periuri, in quem tanta molimini, quem quæritis alligare, qui mutas infantium linguas nouit deligare,

Sapia c.10 *Qui linguas infantium facit diſertas.* Apud alios lego: *Vt ceſſare facias inimicum*: Erat hoc ſufficiens miraculum, quô à tam damnabili propoſito ac malitia reſiliret, qui eam adeo cordi non habuiſſet, vt diabolus, inuiſceratam.

Totus populus contra pudicam Suſannam concitabatur, quam contra iuris ordinem morti adiudicarant ſeniores illi vt lapidaretur, ſeniores inquam, magis malitia, quam ætate, & iam omnes conglomeratis lapidibus adſtabant vt eam illis præfocarent. At vero Deus Spiritum excitauit iunioris Danielis: qui lactens non erat infantulus, ſed exceſſerat ex ephœbis & adoleſcens duodennis, illis autem rapido furoris ſui curſu delatis vt ſententiam exequerentur iam latam ac denunciatam vocem attollit & Suſannæ prædicat pudicitiam, innoxium clamat fundi ſan-

Dan.c.13. 46. guinem: *Mundus ego ſum à ſanguine huius.* Tanta valuit iunioris huius vox autoritate, vt greſſum cuncti ſiſterent, quærerent, quis ea diceret, quis illum moueret, quô fundamento, & in tribunal reuerterentur, eam cauſam denuò tractaturi, quàm iniuſtè definierant, quo factum vt & pudicæ Suſannæ pateret innocentia, & iudicum ſeniorum incorrecta malitia. Admirare in quem finem Deus ſpiritum excitet puerorum, moueatque linguas innocentium. Erant hi pueri Daniele iuniores. *Lactentes* Quis horum potuit mouere ſpiritum? quis illam excitare pueritiam?

Pſalm 8. quis illas dirigere lingulas niſi Spiritus S. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.*

Perfectior multo eſt Chriſti laus, ea quam proloquitur Daniel de Suſanna, quia manifeſtè, & explicitè eum proteſtantur eſſe Deum, Dominum, Redemptorem, & Meſſiam: Ad quid? *Vt ceſſare facias inimicum*; in itinere & propoſito ſuo, quo iam cæpit Chriſtum perdere, quem morti dedicarat, vt equos illos effrænes detineat in curſu ſuo procurrentes. Et valde congruè declarat hoc Chriſtus, cum enim ipſos hoc miraculum præ cæteris percelleret attonitos, ſicut illa quæ Chriſtus operabatur, oleum erant eorum malitiæ incendendæ, quô vehementiùs frendens eorum incaleſceret inuidia; hoc eos tam ardenter inflammauit, vt mortali rabie furentes, in Chriſtum conuerſi, interrogent faſtuoſi: *Audis quid iſti dicunt?* q. d. vt quid adeo diſſonas vocas pateris, voces adulatorias, acclamationes indecentes? Reſpondet illis Chriſtus: *Vtique. Num quam legiſtis: quia ex ore infantium,* &c. q. d. (interprete D. Chryſoſt.) *Vtique* illas audio: Veſtrum erat illas audire: non enim propter me, has voces diſpoſuit Spiritus S. ſed in gratiam, in ſalutem veſtram. *Vtique* illas audio: ſed in hoc maximè prodeſſent, ſi vos illas audiretis. Dicere poterat, quod paulo ante dixerat: *Hæc vox non venit propter me, ſed propter* Ioan.12.

*vos.* eſt vtique Spiritus Patris mei, qui eam for- 30.

mat ad implens regis prophetæ vaticinium, nimirum quòd vltimum, perfectum, ſecurum, & indubitandum laudis filii ſui teſtimonium, daret per infantium linguas, elinguium acclamationes, & vota puſionum. Cum ergo hoc vobis non ſatisfaciat, non eſt quod vlterius progrediamur, nec aliud ſupereſt agendum; ac proinde, *Relictis illis, abijt foras extra ciuitatem*, & quadam vultus mentiſque commotione: quaſi expreſſo ſigno illos vt reprobos deſerens, & omni ſpe ſalutis denudatos, ſeceſſit, ad ficum non habentem fructus, cui maledixit, quæ continuo à radicibus exaruit: vt omnibus innoteſceret, nihil ab illa boni ſperandum vlterius, niſi vt ſuccidatur, & in ignem mittatur adurenda. Audiſtis hæc chariſſimi? Has voces intellexiſtis? Mirabilia hæc vidiſtis? Scitote hæc omnia in veſtrum fieri emolumentum: quod ſi in tantum creuerit malitia tua, vt in mentis tuæ curia Chriſtum morti deuoueris, proponens eum grauius offendere, vel illum tuis ſceleribus perſequeris incorrectus, vel funibus aſtrinxiſti peccatorum: reuertere retrorſum, attende maturius in quem audax movearis, quem offendas præſumptuoſus. In te conuertere, ſaniora conclude conſilia, quæ ſint tibi in ſalutem, vitæ correctionem, peccatorum indulgentiam, diſpoſitionem ad Dei gratiam & miſericordiam impetrandam, & æternæ gloriæ conſecutionem. Amen.